MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80843-7

AUTHOR:

ZWINTSCHER, ARTHUR

TITLE:

DE GALATARUM TETRARCHIS ET ...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1892

Master Negative #

92-80843-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Zwintscher, Arthur, 1867-
De Galatarum tetrarchis et Amynta rege quaestiones. Dissertatio inauguralis quam...scripsit Arturus Zwintscher... Lipsiae, typis O. Brandstetteri, 1892.
50 p. 23 cm.

Thesis, Leipzig.

424391

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-22-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

mm

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE GALATARUM TETRARCHIS
ET
AMYNTA REGE QUAESTIONES.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

1867-
ARTURUS ZWINTSCHER
LIPSIENSIS

LIPSIAE
TYPIS O. BRANDSTETTERI
MDCCCXCII

CURTIO WACHSMUTH

VICTORI GARDTHAUSEN

SACRUM

Caput I.

De Galatarum tetrarchis duodecim.

Tribus illis Galatarum gentibus, quae in Asiam immigrarunt, Tolistoagiis[1]), Trocmis, Tectosagibus, quale quodque fuerit rerum publicarum genus ac qua ratione tempore procedente mutata sit huius civitatis forma, ex uno comperimus Strabone, qui XII, 5, 1 sqq. haec scripsit: *Κατέσχον δὲ τὴν χώραν ταύτην οἱ Γαλάται πλανηθέντες πολὺν χρόνον καὶ καταδραμόντες τὴν ὑπὸ τοῖς Ἀτταλικοῖς βασιλεῦσι χώραν καὶ τοῖς Βιθυνοῖς, ἕως παρ᾽ ἑκόντων ἔλαβον τὴν νῦν Γαλατίαν καὶ Γαλλογραικίαν λεγομένην. Ἀρχηγὸς δὲ δοκεῖ μάλιστα τῆς περαιώσεως τῆς εἰς τὴν Ἀσίαν γενέσθαι Λεοννόριος. Τριῶν δὲ ὄντων ἐθνῶν ὁμογλώττων καὶ κατ᾽ ἄλλο οὐδὲν ἐξηλλαγμένων ἕκαστον διελόντες εἰς τέτταρας μερίδας τετραρχίαν ἑκάστην ἐκάλεσαν, τετράρχην ἔχουσαν ἴδιον καὶ δικαστὴν ἕνα καὶ στρατοφύλακα ἕνα ὑπὸ τῷ τετράρχῃ τεταγμένους, ὑποστρατοφύλακας δὲ δύο. Ἡ δὲ τῶν δώδεκα τετραρχῶν βουλὴ ἄνδρες ἦσαν τριακόσιοι, συνήγοντο δὲ εἰς τὸν καλούμενον Δρυνέμετον. Τὰ μὲν οὖν φονικὰ ἡ βουλὴ ἔκρινε, τὰ δὲ ἄλλα οἱ τετράρχαι καὶ οἱ δικασταί. Πάλαι μὲν οὖν ἦν τοιαύτη τις ἡ διάταξις· καθ᾽ ἡμᾶς δὲ εἰς τρεῖς, εἶτ᾽ εἰς δύο ἡγεμόνας, εἶτα εἰς ἕνα ἧκεν ἡ δυναστεία, εἰς Δηιόταρον. Εἶτα ἐκεῖνον διεδέξατο Ἀμύντας.*

Duae de antiquissima civitatis forma prolatae sunt sententiae. Plerisque recte videtur ille ordo ab auctore descriptus esse, ita ut re vera Galatarum tetrarchas initio fuisse duodecim neque ante Pompei aetatem Galatiam tres habuisse duces existiment. Sic iudicaverunt Niesius[2]), Mommsenus[3]), Judeichius[4]), Fabricius[5]). Sed iam ante Pompeium veterem formam mutatam esse Judeichius animadvertit ac

---

[1]) Forma *Τολιστοβώγιοι* corrigenda est: cf. Niese, Mus. Rhen. XXXVIII p. 584 adn. 1 et Koepp ib. XXXX p. 117 et 120.
[2]) l. l. p. 584.
[3]) Herm. XIX, p. 316 sq.
[4]) „Caesar im Orient" Lips. 1885 p. 151.
[5]) „Theophanes von Mytilene" Argent. 1888 p. 72.

duabus potissimum causis affirmavit. Quarum una est, quod Appianus scribit tres tetrarchas effugisse caedem illam a Mithridate a. 86 a. Chr. factam ac cum vi Galatiae regno esse potitos (Mithr. 46 cf. 75 et Plut. de mul. virt. 23 p. 259) — altera, quod Deiotari tetrarchia, quippe quae a Strabone vocetur πατρῴα, iam a patre esse possessa videtur. Ad annum autem 86 usque et ille v. d. et Fabricius, qui eum sequitur, duodecim in Galatia obtinuisse imperium tetrarchas pro certo habent.

Adversarius Perrotus extitit[1]) negans talem ordinem firmum fuisse et unquam valuisse. Verborum scribit *tetrarchae, tetrarchiae* pristinam et etymologicam vim cito amissam esse et in usum venisse tetrarcham dicere principem vel praesidem, qui non toti regno praeesset, sed qui partem huius regni sibi haberet et regeret. Strabonem illo tetrarchiae nomine deceptum fuisse et ipsum sibi finxisse hunc ordinem mathematicorum, ut ita dicam, ratione conclusum ac constructum, ita ut quatuor cuiusque gentis tetrarchas fuisse scriberet. Cui sententiae assentitur van Gelder[2]), quamquam ne ille quidem singula persequitur, sed universa quadam deliberatione magis quam certis adducitur argumentis, ut idem sentiat.

Proferenda sunt multa contra Perrotum et Gelderum. Ac primum quidem statuendum est nulla esse vestigia, quibus probetur iam illis temporibus h. e. initio circiter saeculi secundi a. Chr. 'tetrarchae' vocem non significasse eum, qui parti praeesset regni inter quatuor principes divisi, sed qui regni sibi haberet partem quandam. Omnes loci a Perroto allati temporibus sunt attribuendi multo posterioribus, quibus iam latius patuisse hanc notionem nemo nescit. Cf. e. g. bell. Alex. 67. Sed illa iam aetate, ad quam Strabonis verba spectant, titulo tetrarchae principem vel regulum quemlibet fuisse ornatum probare non possumus.

Deinde autem nimia certe audacia Perrotus Strabonis fidem et auctoritatem reiecit. Nam scriptor ille Amasenus, quamquam de illis ipsis regionibus, quas accuratissime cognitas habere ac locupletissime describere ut ex Asia oriundus haud dubie potuit (Phrygiam, Galatiam, Paphlagoniam, Bithyniam dico), paucula tantummodo et ea haud semel neglegentia quadam enarrat ita, ut saepius ipse eas terras ne vidisse quidem videatur[3]): tamen earum rerum, quae per totum opus dispersae de rebus gestis adnotantur, auctor habendus est summa veritate ac fide idque praecipue loco a nobis hic tractato, ubi de institutis loquitur civitatis, quae etiam ipsius aetate vestigia quaedam antiquitatis integra servaverat.

Dissentio igitur a Perroto nec credere possum Strabonem de re tam gravi omnia finxisse vel e fonte quodam ficta parum cogitate

---

[1]) 'De Galatia provincia.' Lutet. Paris. 1867 p. 17 sq.
[2]) 'Galatarum res in Graecia et Asia gestae.' Amstelod. 1888 p. 192 sq.
[3]) Cf. Grosskurd, edit. Strab. I, p. XXIII.

hausisse. Qui autem fuerit fons, ex quo ille sumpserit, quae de Galatarum antiquitatibus narravit, certis diiudicari non potest argumentis. Apud Theophanem Mytilenaeum et haec scripta eum invenisse demonstrare Fabricius studuit (l. l. p. 71 et 89): quod fieri quidem potuit. Attamen nulla est necessitas, qua illam sententiam ut sequamur coacti simus. Breves enim rerum gestarum repetitiones et congregationes, quas occasione oblata Strabo operi suo geographico inseruit, non e fontibus desumpsit eo ipso consilio adhibitis, sed ex hypomnematis historicis a se ipso scriptis, in quibus omnia illa iam antea uberius enarraverat. Cumque non unum semper fontem exscripsisse illum auctorem, sed simul adiisse complures constet, non potest enucleari, ex quo potissimum scriptore singula fluxerint[1]).

Sed iam gravissimum omnium addamus argumentum ad sententiam nostram approbandam: ipsa Strabonis verba. Quae si paullo accuratius inspexerimus, iam videbimus fortasse omnia a nobis supra exposita eis supervacanea reddi. Quid enim illo loco narratur? Num hoc unum tres Galatarum gentes ita esse institutas, ut unaquaeque in quatuor divisa partes, quae tetrarchiae nominarentur, sub quatuor tetrarcharum esset ditione atque imperio? Immo vero traditur quamque etiam habuisse unum iudicem, unum exercitus praefectum, tetrarchae subditos, ac duos subpraefectos. Praeterea duodecim tetrarcharum memoratur concilium virorum CCC — nimirum centum ex quaque gente —, quos convenisse in locum, cui nomen Drynemeto, ac de caede iudicasse; de reliquis tetrarchas et iudices. Tota igitur civitatis forma quamquam breviter tamen perspicue describitur ita, ut expressam rerum publicarum imaginem animis teneamus. Quam descriptionem diligentiorem non e notione sola vocis 'tetrarchae' a Strabone vel eius fonte elici potuisse nemo erit qui neget.

Jam oritur quaestio, quanam de causa putarint viri docti non re vera Galatis fuisse tetrarchas duodecim neque Strabonis verba respondere historiae. Quod factum est propterea, quod nunquam, quoad longissime respicere ac res gestas cognoscere possumus, tale quidquam invenitur. Tetrarchae nomen ipsum primum apparet a. 86 a. Chr.[2]). Quamquam caveamus ne nimis multum huic argumento tribuamus! Nam nemo annales Galaticos scriptos reliquit, ac quae occasione data raris locis tradita scientiaeque servata sunt, perpauca sunt itaque de his ipsis rebus spissa plerumque obtegimur caligine.

Sed iam de singulis! Concedendum primum est ex ea quidem aetate, cum in Asiam Galatae traiecerunt, nihil memoriae proditum esse, quod duodecim tum fuisse tetrarchas doceat. Immo nonnulla sunt, quae contra talem sententiam pugnant. Traditur enim duos

---

[1]) Jam Paulus Otto (stud. Lips. XI suppl. p. 220 sq.) multa, quae Theophani Fabricius tribuit, in dubium iure vocavit ac nonnulla certissime ex illius opere non esse petita docuit.
[2]) App. Mithr. 46 cf. Plut. de mul. virt. 23.

fuisse principes, Lutarium et Leonnorium, qui cum XV sociis pactionem de transitu cum Nicomede, Bithyniae rege, facerent[1]), id quod duodecim cum tetrarchis conciliari non posse Mommsenus quoque concedit (p. 317 adn. 4). Dicere fortasse licet ea ipsa de causa, quod in transitu erant, priscum illum ordinem ad tempus sublatum esse; sed accedit, quod et temporibus, quae sequebantur, Galatae bellis externis, internis discordiis semper ita sunt turbati, ut ad rem publicam stabilem quandam et firmam sese accommodare non potuisse videantur. Diiudicari igitur, ut summam faciamus, nequit, utrum tetrarcharum institutio tum fuerit sublata vel neglecta an omnino Galatis ignota.

Tum in bello a Romanis Cn. Manlio Vulsone imperatore contra Galatas a. 189 a. Chr. gesto tres commemorantur reguli, qui tunc tribus praeerant gentibus: Ortiagon, Comboiomarus, Gaulotes[2]). Qui principes nunquam tetrarchae vocantur, sed semper reguli — βασιλεῖς ut ait Polybius —. Sed ne hac quidem causa commotus cum aliis viris doctis concludere ausim illa aetate tetrarchas duodecim non vel nondum legitimum obtinuisse imperium. Ut enim iam Mommsenus suspicatus est (p. 318 adn. 1), facillime fieri potuit, ut tres illi reguli ad ipsum hoc bellum gerendum crearentur eo nimirum consilio, ut summa imperii non penes duodecim, sed tres tantum esset. Accedit, quod apud Livium alius invenitur regulus nomine Eposognatus, qui imperii non est particeps. Singulae igitur gentes singulos tum habebant praefectos. Praetermittere sane nolumus Polybium, qui de his ipsis rebus auctor habendus est summa et egregia fide[3]), semper nec semel tantum voce uti βασιλεῖς neque omnino tetrarchae notionem novisse videri. Quamquam enim scriptores et Graeci et Romani plerumque vertere solent ea, quae barbarorum lingua dicta audiunt, tamen hic admirationem quandam moveret versio propterea, quod tetrarchae vox ipsa est optima notio Graeca neque omnino erat, cur converteretur. Sed iam sufficiat adnotavisse Polybium, auctorem omnium luculentissimum, nihil plane de Galatarum tetrarchis a. 189 a. Chr. nec tradere neque omnino scire videri.

Iam ad propositum redeamus! Perrotus sententiam suam his declaravit verbis (p. 17 sq.): 'Ex eis, quae obiter nobis de Gallorum — — vita, moribus et rebus gestis memorant, liquet, ut pluribus indiciis demonstravimus, Galatiam, donec sub Romanorum praesidum tutela conquiesceret, intestinis discordiis et externis bellis fere semper laborasse nec fines certos nec iustam magistratuum seriem, iustum et legitimum parendi et imperandi ordinem unquam constitutum fuisse — — res (ut paucis comprehendam) nunquam ad effectum esse

---

[1]) Memn. 19 cf. Strab. l. l. Liv. 38, 16.
[2]) Liv. 38, 19 cf. Polyb. 22, 21. Ortiagon paullo post rerum potiri studebat.
[3]) Cf. Mommsen 'Röm. Forsch.' II, p. 541 sq.

perductas et eam civitatis formam nobis a Strabone esse traditam non quae fuit, sed quam fuisse voluissent tres illi populi — —'.

Quamvis non sint extra omnem verisimilitudinem posita, quae Perrotus et Gelder protulerunt, tamen firmo atque indubitato argumento cogimur nullo, ut hanc comprobemus sententiam. Quae certissime dici possunt, sunt haec:

Antequam in Asia consederunt Galatae, forma civitatis, qualem fuisse Strabo tradidit, instituta esse non potuit. Contrariae quas obtinet Mommsenus sententiae refellendae sunt. Qui v. d. Strabonis locum saepius memoratum ita intelligendum esse contendit, ut a scriptore ipso institutionem illam ad eam referri dicat aetatem, qua Galatae in Asiam immigrarint h. e. temporibus belli a Romanis cum Pyrrho rege gesti. 'Die Institution wird' ut verba ipsa afferam 'von Strabo als ursprünglich schon beim Übergang der Kelten nach Asien vorhanden betrachtet' (l. l. p. 317 et 320). Sed quibusnam verbis haec sententia vel interpretatio defenditur? Si accuratius nobiscum consideraverimus, quid Strabo enarret, iam videbimus formam rerum publicarum et antiquitates Galatarum tum demum describi, cum dictum sit illos in Galatia consedisse. Unde quamquam non sequitur Galatas iam ante hoc tempus illo ordine nunquam esse usos, tamen non magis ex ipsis verbis efficitur institutionem illam e patria in Asiam esse translatam. Strabo principis mentionem facit Leonnorii nec quidquam de tetrarchis ea iam aetate cuique trium gentium parti praefectis memoriae prodit. Et fortasse ipsa illa vox τετραρχία pro nostra loquitur sententia. Pars enim gentis, quae nondum consedit, sed modo hic modo illic vagatur, bellorum suscipit tumultus principumque discordias, nulla in regione diutius moratur quam necessarium videtur ad eam compilandam — talis pars tetrarchia appellari vix potest. Meo quidem iudicio tetrarchia non aliter ac tota civitatis forma non prius existere potuit quam sedes occupavissent firmas et fines sibi destinassent certos Galatarum gentes.

Unde vero hi Galatarum tetrarchae petiverunt originem? Nam a ceteris Asiae nationibus aliena esse videtur illa civitatis forma.

Duobus autem hoc fieri potuit modis. Aut tetrarchiae in patria usitatae ac Celtorum moris erant propriae aut Galatae eam rem quasi novam a peregrinis receperunt gentibus. Priorem sententiam Mommsenus, ut iam adnotatum, probare studet dissertatiuncula illa de pagis Celticis inscripta (Herm. l. l.) — peregrinam esse originem, Macedonicam nimirum, Perrotus putat. Qui non ipsum scilicet ordinem duodecim tetrarcharum a Macedonibus esse profectum dicit, sed vocem tantummodo 'tetrarchae' per Alexandri monarchias in usum venisse itaque vi propria amissa etiam in Galatiam ad significandos regulos esse introductam.

Ac Mommseni quidem argumentum summum est hoc: Legimus apud Caesarem (de bell. Gall. I, 12, 4) omnem Helvetiam divisam esse in quatuor pagos, quorum quisque, quamquam communi quodam

imperio gentisque vinculis omnes coniuncti essent, tamen suis quodammodo legibus vel potius sua ratione pugnandi ac bellum gerendi uteretur. Nil profecto amplius traditur nec rem porro persequi possumus. Etenim 'oppida illa numero ad duodecim' et 'vicos ad quadringentos', quae Helvetiis a Caesare alio loco tribuuntur (I, 5), Mommsenus ipse utpote maxime incerta omittit. Quid autem loco illo laudato, quem servandum esse censeo[1]), narratur? Hoc unum profecto civitatem divisam fuisse in quatuor pagos. Nec de imperio et magistratu nec de concilio virorum CCC nec de aliis rebus quidquam omnino audimus, quod ad comparationem vel ut Graece dicam analogiam firmandam afferri possit. Et mirum sane est, quod de ducibus Gallorum, quibus regnum fuisse hereditarium, ut apud Galatas, adversarii concedent, nihil plane compertum habemus. Et alia de Gallorum gente, quae similia atque Helvetia ostendat, nil memoriae proditum est.

Monendum hoc loco videtur nomine tetrarchae ipso propterea, quod Graecum est, vix originem indicari Graeco-Macedonicam. Quamquam enim lingua Gallica ipsa in Galatia usque ad tempora multo posteriora bene conservata est, tamen cum Mommseno sentiendum est hanc vocem esse interpretationem cuiusdam notionis Gallicae. Ac metaphrases illas a scriptoribus Graecis persaepe esse adhibitas non opus est docere. Strabo ipse l. l. unam tantum vocem lingua Gallica affert expressam, Drynemetum dico; cetera translata verboque congruo Graeco descripta sunt.

Mommsenus igitur, ut revertamur unde aberravimus, plurimum illis Caesaris verbis tribuit ex eoque, quod partes inveniuntur civitatis quatuor et apud Helvetios et apud Galatas ac quod eadem fere ratione singuli pagi bellum gessisse videntur, concludit hanc institutionem, quamvis tetrarchiae exemplum unum inveniatur in Thessalia, tamen non habendam esse reipublicae formam nec quae in Graecia nec quae in diadochorum ut dicunt regnis usitata fuerit.

Testatur Demosthenes (Phil. III, 26) Philippum, Macedonum regem, in Thessalia, quae antiquitus erat divisa in quatuor regiones, tetrarchias instituisse ac cuique parti praefectum praeposuisse. Quas tetrarchias orator ille rerum publicarum maxime gnarus, eo consilio institutas esse intellexit, ut populus non solum *κατὰ πόλεις*, ut dicit, sed etiam *κατ' ἔθνη* in posterum regi serviret. Ac constat Thessaliae

[1]) Paulus (in 'Zeitschr. f. Gymn. W.' XXXV, p. 273 sq.) eicienda esse haec verba „nam omnis civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est" coniecit. Quem secutus est Holder (in edit. p. 7). Attamen nimia audacia remotam esse hanc sententiam existimo. Quae non modo non supervacanea, immo etiam necessaria esse videtur. Nam nimis subito cursus orationis interrumpitur, si cum Paulo scribimus „Is pagus appellabatur Tigurinus. Hic pagus etc." quam ut illi v. d. assentiam „incitatiorem quandam esse consecutionem verborum". Quid sibi hoc loco vult cursus sermonis incitatus? — Ceteroquin quatuor Helvetiae partes, etiam si illa verba eiceremus, tenenda essent, ut e toto contextu elucet.

civitates hoc modo libertate privatas, autonomiam earum, ut ita dicam, sublatam esse[1]). Non igitur negare possumus tetrarcharum ordinem in Thessalia primum inveniri ibique originem petiisse a Macedonibus. Nam quamquam, quae Philippus constituit, in statu quodam antiquo illius gentis erant posita, tamen tetrarchia ipsa h. e. ordo civitatis, quae in quatuor partes divisa quatuor habet praefectos, nova erat res, quam novam esse qui tunc erant cognoverunt; neque proprium certe illius institutionis est, quod populus quidam vel regio quaedam in quatuor dividitur partes — quam rem alias quoque invenias — sed illud est, quod quaeque pars sua tenetur potestate itaque civitas esse videtur sui ipsius iuris. Cum igitur tetrarchiae, ubi primum in conspectum nostrum veniunt, e Macedonica exortae sunt origine ac Macedonum respondent arti populos subigendi, suspicari certe licet, ut Perrotus aliis quidem causis commotus dicit, a Thessalia paulatim in totum hunc orbis terrarum tractum, qui in Macedonum ditionem venerat, vulgatum esse hoc nomen vel etiam institutum, et regulos illos innumerabiles, Macedonibus subiectos, sic esse nominatos. Ac quae suspicati eramus, ad maiorem quandam adducuntur probabilitatem alia quadam re, quae pluribus nunc est perquirenda.

Tetrarchiarum magnum invenimus numerum in Syria, cuius decapolin, ut aiunt, Plinius his verbis descripsit (nat. hist. V, 74 cf. 77): "intercurrunt cinguntque has urbes tetrarchiae regnorum instar singulae et regna contribuuntur Trachonitis, Panias, Abila, Arca, Ampeloessa, Gabe." E quibus nonnullae aliis quoque locis memorantur neque ignotae sunt, ut Abila tetrarchia, in qua Lysanias tetrarcha regnabat[2]). Regiones autem, in quibus hae tetrarchiae sitae sunt, patent a finibus Palestinae septentrionalibus ad radices Libani montis in septentriones spectantes h. e. usque ad finem Syriae quae nominatur propria. Praeter quas Plinius commemorat tetrarchiam quandam Nazerinorum; tetrarchias duas, quae Granucomatitae vocantur; tetrarchiam quae Mammisea appellatur; denique tetrarchias in regna discriptas barbaris nominibus XVII (l. l. 81 sq.). Ac ne quid praetermittamus, adiciendum est posteriore aetate tetrarchas imperium obtinere apud Judaeos, quam rem h. l. pluribus persequi superfluum videtur. Quae Judaeorum tetrarchiae vicinae sunt Syriae, ut nemo ignorat, eaque de causa utraque in terra eas eisdem extitisse temporibus eandemque fortasse duxisse originem probabiliter suspicari licet.

Quid deinde? Possumusue cognoscere, unde tetrarchiae Syriacae profectae sint? Extantne qui tradant, qualia quaeque fuerint

[1]) Cf. Schaefer 'Demosthenes u. s. Zeit' II, p. 402. Eadem traduntur ab Aristotele (Müller, Fragm. hist. II p. 151). Ad finem huius loci leguntur haec: *ὅτι δὲ Φίλιππος καθ' ἑκάστην τούτων τῶν μοιρῶν ἄρχοντα κατέστησεν* etc. Quem locum neglexisse videtur Mommsenus, cum dicat tetrarchas Thessaliae a scriptoribus non commemorari. Quid enim *ἄρχων τετραρχίας* significat nisi tetrarchen?

[2]) Cf. Marquardt, 'Röm. Staatsverf.' I p. 401.

primordia, e quibus enata sit illa institutio? Non sunt profecto. At possumus indagare indicia quaedam, e quibus concludere aliquid licebit. Constat enim inter omnes Syriam ut nullam aliam terram omni ex parte subiectam fuisse imperio Macedonico eaque de causa permulta ex more et consuetudine recepisse Macedonum. Mommsenus ipse alio loco uberius hac de re disputat ac quanta fuerit haec vis et potentia Macedonum in illa regione his verbis exponit: Nach dem Sturz des Perserreiches ist Syrien nebst dem benachbarten Mesopotamien wie kein anderes Land mit makedonischen Ansiedlungen bedeckt worden. Die dort in weiter Ausdehnung übernommenen, sonst im ganzen Alexanderreich nirgends also sich wiederfindenden makedonischen Ortsnamen beweisen es, dass hier der Kern der hellenischen Eroberer des Ostens angesiedelt wurde und dass Syrien für diesen Staat das Neu-Makedonien werden sollte (hist. Rom. V p. 450 sq.). Quid ergo? Si hac in Macedonia, ut ita dicamus, Nova praeter alias res et tetrarchias invenimus haud paucas, nonne prima ut videtur specie adducimur, ut etiam hanc institutionem ad Macedones recedere censeamus? An putas casu quodam mirifico accidisse, ut in ea ipsa terra, quae tot tantasque res ad rationem Macedonicam accommodatas haberet, institutio tanta quanta tetrarchia, quae insuper primum apud ipsos Macedones invenitur, ex alio flueret fonte ceteroquin nobis plane ignoto? Num nimis audacter concludimus et tetrarchias eisdem tribuendas esse auctoribus? Vix credo.

Iam examinemus, quomodo Mommsenus has Syriae tetrarchias exortas esse doceat. Nimirum a Pompeio M. eas adfirmavit esse institutas, cum Syria in provinciae formam redigeretur annis 63—62 a. Chr. Nomen autem tetrarchae ab ipso Pompeio in Galatia inventum in illas regiones esse translatum. Cuius tamen sententiae causas Mommsenus affert nullas neque afferre potest. Concedendum sane est vim tetrarchae vocis illa aetate iam fuisse deminutam ita ut, ubicunque tetrarchae (vel tetrarchiae) in Syria memorantur, nil aliud hoc nomine significetur nisi regulus vel princeps regni quantacunque magnitudine. Sed cuinam mirifice hoc esse factum videbitur? Nonne nihilo secius Macedones auctores esse possunt? Duobus fere saeculis praeterlapsis nonne necesse paene fuit, ut neglegeretur propria huius notionis vis? Nil igitur obstat, quin tetrarchias Syriacas ad Macedones recedere statuamus. Ac quo tandem consilio Pompeius tetrarcharum institutionem vel titulum in hanc terram transtulit? Num motus fuit libidine quadam animique ut ita dicam adfectu fortuito? Equidem credere non possum imperatorem Romanum in provincia ordinanda totum se suum ad arbitrium nulla ratione firmatum accommodasse. Accedit, quod titulus ipsa in Galatia, ut iam vidimus, latius quodammodo patuit nec quidquam habebat singulare. Nulla igitur fuit causa, cur in alias terras ad significandas easdem vel similes res transferretur. Ac quidni alias quoque in Asiae regiones, quarum status ordinavit, eundem titulum Pompeius propagavit?

Studebant id maxime omnibus temporibus Romani, ut civitatis, quae in provinciae formam redigeretur, instituta servarent omniaque quantum potuerunt, tenerent. Nova autem, quae instituenda erant, gentium moribus quam simillima reddere solebant, id quod imprimis in Asiae populis cognoscitur. Qua de causa tetrarchiae a Romanis in Syria institutae magnam moverent admirationem, cum omnino novae fuissent. Quae cum ita sint, concedere non possum tetrarchias Syriacas a Pompeio demum imperatore esse creatas, sed Macedonica statuenda est origo.

Quae si recte explorata sunt, nonne prope accedere ad veritatem videmur, si Galatarum quoque tetrarchas a Macedonibus originem duxisse putamus? Ipsos Macedones nimirum illos non instituisse constat neque ullo ad firmandam hanc veritatem opus est argumento. Hoc tantum contendo Macedonum hunc fuisse morem itaque ut in aliis Asiae regnis sic etiam in Galatia hanc civitatis formam postea in usum venisse. Neque non fulcitur haec sententia. Ipsa enim in Galatia haud pauca sunt, quae originem indicent Graecam scil. Macedonicam, ut ipsum nomen docet, quo inde a Polybii circiter aetate ornata est haec terra: Gallograecia. Ac quamquam plurima sane Deiotari regis temporibus et postea ad Graecorum morem mutata sunt, tamen iam antea talia cognoscuntur, de qua re paullo infra aliquid addemus.

Ipsas autem Galatarum tetrarchias haud inutile esse videtur comparare cum Syriacis. Nam utraque in terra eodem modo res progressae ad eundem fere pervenerunt finem. Singuli reguli id unice contendebant, ut regnorum fines quam longissime propagarent, imperium divitiasque amplificarent, aemulis obtrectarent. Qua re factum est, ut illae gentes semper intestinis dilacerarentur discordiis neque communi vi Romanis resisterent. Illi autem ad subiciendas has regiones nulla potuerunt progredi via meliore, quam illa, ut singulis regulis ac tetrarchis id, quod antiquitus possiderent vel occupassent, concederent ac libertatem quasi redderent. Eadem fere ratione Pompeius ordinavit Galatiam qua Syriam et utriusque regni agnovit reges domesticos. Quibus in rebus enarrandis Appianus et Galatiae et Syriae res simillime describit, cum hac in terra constitutos esse *οἰκείους βασιλέας* dicit, in illa confirmatas esse tetrarchias (cf. p. 17). Hinc simul discimus — quod novum est argumentum neque parvi ut videtur ponderis — reges et in Syria iam ante Pompeium regnasse neque ullam fuisse causam, cur titulus eorum ab imperatore mutaretur. Diversa certe esset res, si primus ille reges instituisset! Ac postea, cum Caesar a. 47 ab Aegypto contra Pharnacem profectus Syriam ingressus esset, de discordiis regulorum eodem modo decrevit et in Galatia et in Syria. Auctor 'belli Alexandrini' eisdem fere verbis utitur cf. c. 65 cum 68. Quibus e rebus cognoscimus tetrarchias et Galaticas et Syriacas illis quidem temporibus, quibus primum apparent, insigni quadam fuisse similitudine. Amiserant vim ac

naturam propriam eademque ratione mutatae ad eundem pervenerant finem ita, ut etiam origo eadem fuisse videatur. Ac longius e primordiis ad maiora escendisse nimisque iam ad exitum vergere videntur hae Syriae tetrarchiae, quam ut credere possim tum demum a Romanis eas ut novas esse institutas.

Omnia nunc brevissime repetamus! Pro Mommseni sententia hoc unum potissimum afferri potest, quod Caesar tradit Helvetiam divisam fuisse in quatuor pagos. Contra illius opinionem pugnant primum tetrarchiae Thessaliae ratione ac consilio Macedonum institutae; deinde tetrarchiae, quae inveniuntur in Syria, Macedonia illa Nova; tum denique id, quod Galatarum tetrarchiae non ab initio a scriptoribus commemorantur neque hanc institutionem e patria in Asiam translatam esse ullo modo comprobari potest. Quae cum ita sint, ego quidem pro certo affirmare malim tetrarcharum Galatiae originem fuisse Macedonicam. Tetrarchias vero Thessalicas momenti aliquid habuisse ad Galatiae pagos Graece appellandos, id quod Mommsenus fieri potuisse suspicatur (l. l. p. 318 adn. 3), ipse contendere non ausim. Hic membrum quoddam medium neglectum est et institutiones a Macedonibus in Asia factae interserendae sunt, quae ut ad Galatarum tetrarchias instituendas multum tribuerent nemo erit qui fieri potuisse neget.

Una restat quaestio nobis tractanda, quomodo quibusque temporibus factum sit, ut Galatae hanc civitatis formam assumerent. Ac valde dolendum est, quod non plura memoriae tradita sunt nec certi quidquam diiudicari potest. Suspicari autem haec fere licet:

Constat Galatas sedes stabiles certaque domicilia in Galatia non habuisse ante Attali victoriam[1]). Hoc igitur tempore, cum consederunt, haud dubie forma quaedam rerum publicarum eis erat accipienda, quae in bellis antea gestis aut omnino non erat aut esse non potuit. Itaque ipsi adsumpsisse videntur hunc tetrarcharum ordinem, cuius cognoscendi eis multae fuerunt occasiones — constat e. g. Syriam eis tributum pependisse — aut fieri etiam potuit, ut Pergamenorum reges illum Galatis commendarent vel imponere conarentur. Quod si accipiamus, illud optime explicatur, quod Galatarum tetrarchiae nunquam integrae ut ita dicam fuerint: scilicet mos erat alienus a consuetudine Celtica. Pergamenos autem facillime Galatis talia imponere potuisse, vel ex eo satis apparebit, quod Galatae subiecti fuerunt Eumeni II. post bellum Ortiagonense ac tributum solverunt. De singulis quidem rebus nil accuratius scimus nec quatenus repressa sit eis libertas audimus. Tamen res ipsa in dubium vocari nequit[2]).

---

[1]) Quamquam de aetate et ratione, qua Galatae consederint, nihil certi audimus (cf. Koepp, in Mus. Rhen. XXXX p. 122 sq. et Thraemer, ‘Pergam.’ p. 247 adn. 1), tamen pro certo licet affirmare Galatas non intra terminos Gallograeciae esse coercitos, antequam Attali victoria repulsi et impediti sunt, ne longius in posterum vagarentur et praedarentur.

[2]) Cf. Koepp et Thraemer l. l.: „Das Resultat der Eumeneskriege war die **Einverleibung Galatiens** ins Pergamenische Reich“. Cf. Mommsen, hist. Rom. I, p. 771.

Neque ineptum hoc tempus videtur aliis quoque de causis. Constat enim illis ipsis annis Galatarum in perpetuum subruta potestate religionem, mores, omnia instituta ad Graeco-Asiaticam normam esse reficta et ad finitimorum potissimum consuetudines flexa. Sic Gelder, qui propius ad has res investigandas accedebat, haec scribit: Galatae ut in Mithridaticis bellis resurgunt ad Phrygum, Graecorum normam magis quam ipsorum proavorum reformati esse inveniuntur (l. l. p. 193).

Hanc quoque rem addere vel potius repetere haud erit ineptum, quod Polybius illa ipsa aetate semper titulo utitur *βασιλεῖς,* ne semel quidem *τετράρχης*.

Rebus autem, quas Galatae a Graecis vel Asiae populis Graecorum more constitutis acceperunt, addere mihi liceat unam a nullo adhuc adnotatam, qua coniectura nostra confirmari videtur. Amyntas enim scriba erat et dux militaris Deiotari regis. Quae munera ab uno viro coniuncta simillimo modo primum apud Macedones inveniuntur, deinde in regno Pergameno, ut pluribus infra p. 27 sq. exponetur. Relegamur igitur rursus ad Macedones et (id quod maioris h. l. est momenti) ad Pergamenos, quos ad res Galatarum firmandas et instituendas certissime aliquid contulisse haec docent. Etiam tetrarcharum igitur ordinem fortasse Pergamenis vindicare licet.

Caput II.

De tetrarchis a Pompeio constitutis.

Tradidit Strabo memoriae Galatiae tetrarchias suis temporibus transiisse ad tres principes. Cuius transitionis auctorem fuisse Pompeium, qui a. 63/2 tres illos constituisset tetrarchas, e veterum testimoniis[1]) haud pauci concluserunt et in primis Benedictus Niese, cuius sententiam praeter ceteros Mommsenus comprobavit[2]). Quaerendum igitur est, qui fuerint tres illi tetrarchae a Pompeio constituti.

Ac primum quidem constat Deiotarum regem, cuius sub imperium

---

[1]) Strab. XII, 3, 1 C 541: *μεταξὺ δὲ τῶν Παφλαγόνων τῶν μεσογαίων τινὰς βασιλεύεσθαι παρέδωκε τοῖς ἀπὸ Πυλαιμένους καθάπερ καὶ τοὺς Γαλάτας τοῖς ἀκὸ γένους τετράρχαις* — App. Mithr. 114: [*Πομπήιος*] *ἐποίει καὶ τετράρχας Γαλλογραικῶν μὲν - - - Δηιόταρον καὶ ἑτέρους* — id. Syr. 50: - *καθὰ καὶ Γαλατῶν - - τοῖς δυνάσταις ἐβεβαίωσε τὰς τετραδαρχίας*. (Ante *δυνάσταις* iure Gelder delevit *τέσσαρσι* cf. p. 17 adn. 1.

[2]) Herm. XIX, p. 317 adn. 5.

postea tota cecidit Galatia, illis temporibus tetrarcham fuisse Tolistoagiorum gentis; neque Pompeium imperium eius minuisse, immo etiam amplius reddidisse apparet ex Strab. XII, 3, 13, ubi leguntur haec: *ταύτης δὲ τῆς χώρας (τῆς Γαζηλωνίδος) τὴν μὲν ἔχουσιν Ἀμισηνοί, τὴν δ᾽ ἔδωκε Δηιοτάρῳ Πομπήιος καθάπερ καὶ τὰ περὶ Φαρνακίαν καὶ τὴν Τραπεζουσίαν μέχρι Κολχίδος καὶ τῆς μικρᾶς Ἀρμενίας καὶ τούτων ἀπέδειξεν αὐτὸν βασιλέα, ἔχοντα καὶ τὴν πατρῴαν τετραρχίαν τῶν Γαλατῶν τοὺς Τολιστοβωγίους.* Non opus est cum Iudeichio vocem *πατρῴα* ita interpretari, ut ex illa sola concludamus Deiotarum iam, antequam Pompeius in Galatiam venit, Tolistoagiorum tetrarchiam possedisse. Elucet e toto verborum contextu rem aliter intellegi non posse. Quid enim legimus? Attribuisse Pompeium Deiotaro partes Gazelonidis aliaque quaedam regemque harum regionum eum appellasse, Deiotarum scilicet, qui etiam Tolistoagiorum possideret tetrarchiam paternam. Qua de tetrarchia ipsa Pompeius nil omnino decrevit, nedum novasse eum quidquam audiamus. Sed eius, qui tum erat tetrarches, dignitatem et imperium confirmavit, nova quaedam adiecit.

Occupatam fuisse illa iam aetate etiam Armeniam minorem a Deiotaro ex eodem loco nequaquam consequitur, id quod Fabricius primus cognovit, etsi causas non satis exposuit (l. l. p. 208). Immo verba ipsa docent Deiotarum neque Armeniam nec Colchidem possedisse. Ac Colchidem scimus Aristarcho esse attributam[1]); Armenia minor autem a posteris semper Deiotaro vindicatur[2]), Quam difficultatem ut effugeret hanc iniit Niesius viam (p. 579), ut diceret, vocem *μέχρι* quippe quae saepissime modo comprehenderet modo exciperet eam rem, usque ad quam aliquid extenderetur, hoc loco duplici ratione esse positam ita, ut Armenia a Pompeio data includatur, excludatur Colchis. Attamen nullo modo fieri potest, ut uno loco eadem vox et hac et illa significatione adhibeatur. Necesse est alterum sit de duobus. Praeterea Strabo ipse aliis locis ad describendas illas regiones eisdem utitur terminis *μέχρι Κολχίδος καὶ Ἀρμενίας*[3]) itaque re vera negavit Deiotaro a Pompeio Armeniam Minorem datam esse. Qua de causa probabile mihi videtur, quod Fabricius (p. 208 sq.) et ante eum iam Drumannus (hist. Rom. IV, p. 469) suspicati sunt: Deiotarum non ante annum 59 illam regionem a Romanis concessam obtinuisse, quo anno omnia, quae Pompeius instituisset, rata esse senatus iuberet. Ad quam opinionem firmandam addendum est et apud Ciceronem et in 'bello Alexandrino' non Pompeium, sed senatum dici Deiotaro illam terram attribuisse[4]). Nihil autem facilius posteriore aetate fieri potuit quam ut ei, qui ad haec

---

[1]) App. Mithr. 114 Eutr. VI, 14.
[2]) b. Al. 67; Cic. de div. II, 79, Phil. II, 94; Eutr. l. l. Dio C. 41, 63.
[3]) XII, 3, 28 cf. 29 et 3, 1.
[4]) Cic. de div. II, 79, Phil. II, 94; b. Al. 67.

tempora tractanda aggressi sunt, putarent omnia, quae a. 59 rata a senatu facta sunt, iam antea a Pompeio esse instituta[1]).

Accedit alia causa a Fabricio sagaciter inventa. Pompeius enim ipsa in Armenia Minore urbem condidit Nicopolin[2]) neque igitur in animo initio quidem habuisse videtur illam regionem Galatarum tetrarchis subicere.

Quae cum ita sint, pro certo licet affirmare Deiotarum postea — nescimus quomodo — Armeniam sibi ipsum acquisivisse. Omnia autem, quae a. 59 possedit, a senatu ut a Pompeio instituta rata sunt habita.

Alter, qui illis temporibus invenitur tetrarcha ac Trocmorum quidem in gente, est Brogitarus[3]), cui Pompeius Mithridatium castellum adiudicavit. Trocmorum autem tetrarches iam erat, cum Pompeius illas res ordinavit, neque tum demum hac dignitate ornatus est. Postea autem inter illum et Deiotarum — cuius filiam in matrimonium duxerat Brogitarus[4]) — controversia extitit magna de sacerdotio Cybeles Pessinuntio, quod commune erat omnibus Galatis ac cuius possidendi neque hic neque ille ius et potestatem habuisse videtur. Recte enim Gelder animadvertit (p. 285 adn. 5) Ciceronem ne verbo quidem pro Deiotaro cliente ius quoddam sacerdotii commemorare, quod si proferre potuisset, non praetermisisset. Id sacerdotium denique Brogitaro Clodius, tribunus plebis, a. 58 una cum titulo regio pecunia vendidit[5]). Et quamquam senatus nunquam ut videtur regem eum appellavit[6]), tamen ille nihilominus non dubitavit titulum sibi vindicare ac contumacia quadam prae se ferre. Nam in nummis quoque a se cusis illum impressit. Extat enim tetradrachmum quoddam argenteum, in quo inscriptum est *βασιλέως Βρογιτάρου Φιλορωμαίου*[7]). Quem nummum recte interpretatus est dux de Luynes l. l. In hoc uno tamen errat, quod pro signo Ϛ in imo nummo expresso legit litteram *Π*, qua Pessinuntem significari putat. Contra Mionnetus, Headius, Imhoofius[8]) stigmatis signum intellexerunt et rectissime ad Brogitari regni annos rettulerunt. Primum enim in imagine ipsa apud Mionnetum delineata satis perspicue cognoscimus caudulam

---

[1]) Cf. Eutr. VI, 14.
[2]) Strab. XII, 3, 28 C. 555.
[3]) Strab. XII, 5, 2 C. 567: *ἔχουσι δὲ οἱ μὲν Τρόκμοι τὰ πρὸς τῷ Πόντῳ καὶ τῇ Καππαδοκίᾳ - - φρούρια δ᾽ αὐτοῖς τετείχισται τρία - - Μιθριδάτιον, ὃ ἔδωκε Πομπήιος Βρογιτάρῳ - -.* Forma codicibus tradita *Βογοδιατάρῳ* iam a Drumanno correcta est (IV, 469). Omnis autem dubitatio sublata est inscriptione quadam Aegis reperta cf. Hirschfeld, Herm. XIV, p. 474 sq.
[4]) Cic. de har. resp. 13, 29.
[5]) Cic. har. resp. 13, 27, pro dom. 129, pro Sest. 26, 56.
[6]) Cf. Cic. pro Sest. l. l.
[7]) Cf. Mionn., descr. d. méd. IV, 105 nº 12 et suppl. VII, pl. XIII, 3; rev. num. fr. 1845 p. 264 (duc de Luynes); Head, hist. num. p. 628 cf. Mommsen, hist. mon. III, p. 313.
[8]) 'Griech. Portraitk.' p. 40.

quandam inferiori lineae ad dexteram esse additam ita, ut stigmatis forma procul dubio efficiatur. Deinde totius quoque scripturae litterarumque ordine demonstratur lectionem *Π* retineri non posse. Hic enim est ordo:

ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΒΡΟΓΙΤΑΡΟΥ
ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ
ϛ

Stigmatis autem formam in nummis Graeco-Asiaticis illa tempestate expressam non est cur admiremur neque exemplis affirmare opus est[1]).

Indicatur igitur hoc in nummo annus 53 a. Chr., id quod nondum satis ab omnibus observatum est. Niesius, Gelder, Iudeichius dicunt Brogitarum postremum commemorari a. 55 (in ep. Cic. ad Qu. fr. II, 9, 2) itaque Trocmorum tetrarchiam iam illo anno successori patuisse. At e nummo modo descripto discimus Brogitarum, quamquam Pessinuntis sacerdotium iam a. 56 amiserat[2]), tamen tetrarchiam titulumque regium tenuisse neque ante annum 53 e vita decessisse.

Duo igitur certissime statuendi sunt tetrarchae. Quis autem fuerit tertius, controversia est. Hoc tantum constat ante pugnam apud Pharsalum commissam inter socios a Pompeio arcessitos etiam tres fuisse Galatarum duces: Deiotarum regem, qui DC, Castorem Tarcondarium, Domnilaum, qui CCC equites subsidio miserant (Caes. b. civ. III, 4 cf. App. emph. 2, 71). Quorum cui quisque praefuerit genti, non comperimus. Mirum sane esse videtur, quod Deiotarus primus solus nominatur una cum principibus alienigenis, cum ceteri Galatae multo postea aliis intermissis memorantur.

Praeterea auctor 'belli Alexandrini' scribit Deiotarum a. 47, priusquam Caesar res Galaticas ordinare inciperet, tetrarchen fuisse Galatiae paene totius ac praeter tetrarchiam iure paterno possessam etiam Trocmos paucis ante annis occupatos habuisse (c. 78). Quibus rebus adductus Niesius opinatur (p. 586) Castorem Tarcondarium esse tertium illum, quem Pompeius Tectosagibus praefecerit. Domnilaum autem Galatam[3]), qui tertius apud Pharsalum invenitur, suc-

[1]) Cf. Sallet 'Num. Zeitschr.' XIV, p. 379.
[2]) Cic. de har. resp. 29.
[3]) Certo idem est ac Domnecleios qui dicitur Strab. XII, 3, 6 cf. Niese ll. p. 590 adn. 1.

cessorem vel fortasse filium Brogitari in Trocmorum tetrarcharum seriem interponit.

Cui sententiae Iudeichius recte opponit 'paucos illos annos' in b. Al. 78 commemoratos, qui in ne integri quidem anni spatium comprimantur, quoniam Domnilaus apud Pharsalum vivus invenitur ac Deiotarus iam ante pugnam ad Zelam commissam h. e. in primo proximi anni dimidio illius tetrarchiam occupatam possedit. Quas difficultates Niesius simpliciter ita removet, ut negligenter ea esse enarrata dicat.

Sed altera addenda est causa neque ea levis, ex qua efficitur, ut non nisi summa cum difficultate Domnilaus in Trocmorum tetrarchia succedere potuerit. Scimus paullo postea Deiotaro a Caesare hanc ipsam tetrarchiam ademptam ac Mithridati Pergameno iure gentis et cognationis adiudicatam esse (b. Al. 78 Strab. C. 625 Dio C. 42, 45).

Mithridates autem Pergamenus filius fuit sororis Brogitari, ut inscriptione illa Aegaea Hirschfeldius l. l. docuit[1]). Si igitur Domnilaus successisset, Mithridati multo minus fuisset succedendi ius, si modo erat, quam liberis Domnilai. Hoc plane patet. Ac fuerunt Domnilao liberi. Audimus de filio quodam, cui nomen erat Adiatorix (Strab. C. 542—3). Quem neglegere et a successione amovere necessarium fuit, cum Caesar Mithridaten constituit, neque omnino erat, cur amoveretur. Hac igitur de causa credere non possum Domnilaum Trocmorum fuisse tetrarchen. Ius autem, quod Deiotarus sibi vindicavit Trocmos imperio suo subiciendi non ad Domnilai mortem referebatur ut Niesius putat (p. 594 adn. 1) — nam filius relictus est neque ulla propinquitate Deiotarum coniunctum fuisse cum Domnilao scimus — sed inde profectum est, quod socer erat Brogitari, cuius hereditatem sine ullis scrupulis sese adire posse putabat propinquis, qui erant illius uxori, neglectis. Domnilaus ergo non nisi magna cum difficultate in Trocmorum tetrarchas interseri potest; contra optime omnia fluunt, si seriem principum statuimus sic: Brogitarum — Deiotarum — Mithridaten Pergamenum. Quarum rerum bonum connexum omnem deleret Domnilaus, Trocmorum tetrarches.

Alter, cuius mentio fit apud Pharsalum, tetrarches est Castor Tarcondarius[2]), quem Niesius tertium a Pompeio esse institutum Galatarum ducem et eum Tectosagum existimat. Hic autem Tarcondarius pater est Castoris illius, qui paulo post Deiotarum Romae accusavit, quod Caesari insidias ac necem comparasset. Haud ignotum est a Cicerone ipso Deiotarum esse defensum. Tarcondarius autem ut Brogitarus filiam in matrimonium duxerat Deiotari posteaque a socero una cum uxore interfectus regnoque privatus est (Strab. XII, 5, 3 C. 568). Quem principem fuisse Tectosagum inde effici Niesius persuasum sibi habet, quod Gorbeus, regni caput, in regionibus illius

[1]) Cf. cap. IV p. 26.
[2]) Sic scribendum est cf. Niese ll. p. 586 adn. 3.

gentis sita fuerit. Atqui quo loco illud castellum iacuerit, ad liquidum perduci nequit, etsi ea causa, quam Fabricius contra Niesium affert (p. 74 et 93 sq.), reicienda haud dubie est. Monuit enim ille v. d. nec Gordium nec Gorbeum tetrarchiarum finibus comprehensas fuisse propterea, quod Strabo eas non enumeret in singulis tetrarchiis describendis, sed tum demum, cum hanc rem absolverit ac iam Pessinuntem omnibus Galatis communem commemoraverit. At quae est Strabonis verborum rerumque consecutio? Scriptor, postquam breviter de Galatarum transgressu verba fecit, nominatim perscribit tres illorum gentes ac capita maioraque oppida vel castella indicat, quae in unaquaque sita erant: Trocmorum tria, Tectosagum unum, Tolistoagiorum duo. Deinde in Pessinuntis incidit mentionem, quod oppidum antea suae fuerat potestatis ac primum ut videtur a Deiotaro cum Tolistoagiis in perpetuum coniunctum est. Postremo denique Strabo memorat sedes veteres Phrygum circum Sangarium fluvium sitas (*οἰκητήρια*), quas nulla ad suam aetatem servasse pristinae magnitudinis vestigia neque nisi parvos tantummodo vicos tum fuisse scribit: Gordion scilicet et Gorbeum. *Φρούριον* h. e. castellum a Deiotaro deletum esse diserte pronuntiat. Dubitari igitur nequit, quin Strabo haec loca leviter quasi in transitu nulla alia attigerit de causa, quam quod historiae famaeque quadam erant celebritate. Omnes enim enumerare urbes ac vicos Galatarum omnino non propositum erat auctori et satis iam habuit ad tetrarchias singulas copiosius illustrandas capitum ac castellorum uniuscuiusque mentionem movisse. Gordion vero et Gorbeum excepit et quamquam sua quidem aetate vicorum in formam erant redactae neque omnino erat, cur indicaret, tamen silentio non praeteriit propterea, quod temporibus superioribus castella memoratu digna fuerant. Inde igitur Fabricius iniuria existimat concludi posse illa loca tetrarchiarum ipsis finibus nec tum neque unquam fuisse attributas.

Sed iam satis de hac re! Etsi concedamus Castorem Tarcondarium Tectosagum fuisse tetrarchen, cuiusnam gentis tum princeps fuit Domnilaus, quem Trocmis non praefuisse supra docuimus?

Iudeichius (p. 152 sq.), quocum Fabricius consentit (p. 72 sq.), Domnilaum fuisse Tectosagum tetrarchen opinatur, Castorem autem Tarcondarium omnino non tetrarchen, sed dynasten intellegendum esse regionis cuiusdam, quae circum Gordion et Gorbeum extendebatur. Concedendum sane est Tarcondarium ipsum nunquam a scriptoribus tetrarchen appellari neque e voce *βασίλειον* sola tale quidquam posse concludi. Sed qualis fuisset ordo ille a Pompeio institutus, si permisisset, ut in tetrarchiis a se confirmatis liberi remanerent reguli atque ii tanta potestate, ut cum tetrarchis ipsis aequati esse viderentur ita, ut Strabo simpliciter de 'tribus' loqueretur atque auxilium missum et a Domnilao et a Castore eadem esset magnitudine copiarum! En, quod gravissimum est ac vehementissime contra Iudeichium pugnat: auxilium illud ad pugnam Pharsalicam ab utroque paratum, quod

eundem ostendit militum numerum ita, ut Castor et Domnilaus eadem fere fuisse videantur dignitate ac potestate. Quam difficultatem Iudeichius ipse animadvertit monetque fieri potuisse, ut illi dividerent tetrarchiam inter se, id quod imprimis eo ipso copiarum numero comprobari putat. Deiotarus enim, ut repetamus, sescentos, Domnilaus et Castor trecentos submiserunt ita, ut quaeque tetrarchia trecentos compararet. Qua ratione computandi hoc tamen neglegitur, quod Deiotarus non solum tetrarches Galatiae, sed etiam aliarum regionum erat rex neque auxiliorum numerus e tetrarchiis solis duci potest.

Quidquid igitur proposuerunt viri docti, ut tollerent omnes difficultates, semper aliquid superest, quod explicare non possimus. Tetrarchae tres a Pompeio constituti definiri qui fuerint nequeunt; immo haud pauca contra talem institutionem a Pompeio factam pugnare vidimus. Itaque quaestio oritur, num necessario tres illi principes a Strabone memorati eidem putandi sint, quos Pompeius a. 63—2 instituerit.

Apud Strabonem ipsum hoc tantum legi iam docuimus, suis (auctoris) temporibus Galatarum imperium ad tres venisse duces. Nil amplius. Ne uno quidem verbo ad eam adducimur sententiam, ut re vera novam quandam rerum publicarum formam ab imperatore quodam Romanorum institutam esse putemus. Immo e contextu sensuque verborum sequi videtur res sensim ac paulatim ad eiusmodi statum esse perductas. Ac quid ceteris testimoniis proditur? Apud Strabonem alio loco (XII, 3, 1 C 541) traditur Pompeium tetrarchis reddidisse Galatiam generatim (*ἀπὸ γένους — παραδιδόναι*). Appianus autem eadem scribit hisce usus verbis: *ἐποίει καὶ τετράρχας* (Mithr. 114) et *τοῖς δυνάσταις ἐβεβαίωσε τὰς τετραδαρχίας*[1]). Quibus e locis unus solus ita intellegi potest, ut novus quidam indicetur ordo: Appiani illud *ἐποίει,* sub qua voce constituendi notio sine dubio subiecta est. Nam *παραδιδόναι* apud Strabonem significat *tradere, reddere,* non solum *dare, donare*, quod simplici verbo *διδόναι* exprimitur. Pompeius autem regnum tradere potuit et eis, qui iam antea id possederant, id quod Niesius fieri posse temere negat (p. 568). In voce autem *βεβαιοῦν* ab Appiano altero loco adhibita sententiam inesse *confirmandi, ratum faciendi* per se patet. Cum ineptum illud *τέσσαρσι* delendum sit, numerus tetrarcharum nusquam traditur neque ulla est causa, cur tres tantum fuisse censeamus, quibus tetrarchiae tum confirmatae sunt. Niesius hunc locum ut opinioni suae contrarium omisit. Quod denique attinet ad illud *ἐποίει,* hic liceat proferre Niesii ipsius verba, qui ad alium eiusdem scriptoris locum adnotavit verba ibi ab auctore ut saepissime non plane

[1]) Syr. 50. Ante *δυνάσταις* delendum *τέσσαρσι* cum Geldero, qui coniecit hanc vocem fluxisse e littera *δ* ante *δυνάσταις* repetita. Fieri profecto etiam potuit, ut Appianus re vera sic scriberet, cum *τετραδαρχίας* propria notionis vi dictum esse itaque quatuor fuisse duces sibi fingeret (ll. p. 284 adn. 2).

ac sine accurata quadam distinctione notionum esse delecta (p. 596 adn. 2). Et certum insuper est Appianum voce *βεβαιοῦν* uti non potuisse, si novum ordinem indicare vellet; contra *ποιεῖν*, quod verbum communi quadam notione est, facillime pro confirmandi vel simili quadam voce scribi potuit. Quodsi ita res se habet, haud necesse est cum Niesio illud *ἐποίει* ita premas, ut novus civitatis ordo significetur. Simillima ratione Appianus altero loco utitur vocabulo *ἐφιστάναι*, ubi e contextu elucet nil aliud nisi confirmandi notionem intellegendum esse.

Porro supra cognovimus Deiotarum iam ante Pompeium Tolistoagiorum tetrarchiam possedisse ac Brogitarum quoque non tum demum tetrarchen esse nominatum, sed Mithridatium tantum castellum a Pompeio accepisse. Nusquam igitur legimus novam quandam institutionem a Pompeio illa tempestate factam esse. Quae tetrarchis nova sunt attributa, regiones comprehendebant, quae cum Galatarum tetrarchiis omnino non cohaerebant.

Quae si recte sunt disputata, apparet Pompeium Galatarum tetrarchias ordinasse principesque confirmasse. Utrum autem agnoverit tres an plures, qui iure quodam talia sibi vindicare viderentur, hoc quidem decerni nequit. Appiani verba quae sunt *καὶ ἑτέρους* pariter indicare videntur non duos tantum fuisse[1]). Quamquam contendere nolim magni hoc esse momenti. Hoc unum tamen animadvertas, quod Strabo ipse imperium venisse non ad tres *τετράρχας* scribit, sed ad *ἡγεμόνας*.

Praeterea equidem hoc quoque putarim Strabonem, qui tanta subtilitate tres illas Galatarum gentes discernit, in singulis describendis certo memoriae traditurum fuisse, qui a Pompeio unicuique praepositi essent, si re vera fuissent. Sed ne divisos quidem esse Galatas in ipsas tres gentes scribit. Qua ex re quamquam certum iudicium profecto non assequemur, tamen specie quadam probabilitatis nostra sententia commendari mihi quidem videtur. Non ergo Niesio adsentiendum est 'ordinem Galatarum Pompeio adsignatum eundem esse, quem Strabo scribat *καθ' ἡμᾶς* esse institutum ipsumque Pompeium tres illos tetrarchas creasse'.

Ceterum Niesius ea quoque de causa ut sententiam suam affirmet adducitur, quod verbis illis *καθ' ἡμᾶς* ad definiendum eum annum uti enititur, quo Strabonem natum esse vult. Itaque illud tempus quam potest maximum ad aetatem superiorem revocat. Sed ne haec quidem ratio probabilis videtur. Mirum enim esset, si Strabo, quod primis aetatis suae evenit annis vel etiam primo ut Niesius vult anno (63 a. Chr.), verbis illis parum definitis significasset 'memoria nostra', 'temporibus nostris'.

Pompeius igitur de iuribus tetrarcharum, qui discordias ei non aliter proposuisse videntur ac postea Caesari, rebus rite examinatis

[1]) Cf. Gelder p. 284 adn. 3.

statuit regnaque iusta eis concessit. Utrum fuerint tres an plures, dici nequit. Tres certe non inveniuntur ante pugnam Pharsalicam, ut vidimus, h. e. annis quindecim circiter post. Neque opus est cuique eorum certam attribuere tetrarchiam vel potius unam e tribus gentibus. Strabo dicit *ἡγεμόνας*, verisimillimumque est tres illas nationes non tam definite illa tempestate separatas fuisse, ut non communi unius principis imperio subditae esse possent partes duabus e gentibus ad unam coniunctae. Perfacile enim, ut fors dedit, modo hac modo illa e gente tetrarchiae ab eodem occupari potuerunt regulo. Qui armis et potentia plurimum valebat, is summum nanctus est imperium, is victor e certamine discessit.

Nostris etiam temporibus, ut Perrotus enarrat[1]), res illis in regionibus sunt simillimae. Duces maiorum et minorum gentium omnibus viribus id agunt, ut regna amplificent. Sic nuperrime unus ex illis ut alter Deiotarus regnum quoddam permagnum corripuerat sibique subiectum possedit, cuius ambitus idem fere fuit ac Deiotari dominationis. Fines igitur qui fuerint earum regionum et tempora, quibus singula regna extiterint, certo definiri vix possunt, quoniam saepissime iam antiquis scriptoribus haud fuerunt nota neque esse potuerunt.

Caput III.

De tetrarchis a Caesare constitutis.

Caesari contra Pharnacem a. 47 Galatas cum exercitu ingredienti Deiotarus signis regiis depositis supplex obviam ivit (b. Alex. 67). Rex autem tum erat ac tetrarches Gallograeciae paene totius. Possidebat, ut iam diximus, tetrarchias Tolistoagiorum et Trocmorum. Tectosagum quoque partes tum eum sibi habuisse, ut nonnulli coniciunt, fortasse statuere licet, quamquam e verbis 'paene totius' solis hoc non consequitur. Quae nondum in eius erant potestate, Castor ille Tarcondarius possidebat. De Domnilao post pugnam Pharsalicam nil amplius traditum est itaque ex scriptorum silentio cum Niesio (p. 594) fortasse coniectare licet in acie illum cecidisse neque in patriam rediisse. Idem v. d. recte adnotavit non futurum fuisse ut ille a Caesare omitteretur neque tetrarchia donaretur, eaque de causa illum iam mortuum fuisse, cum Caesar res Galaticas institueret. Castorem autem Tarcondarium interfectum esse a Deiotaro una cum uxore, filia Deiotari ipsius, e Strabone compertum habemus[2]). Quod quando sit factum, pro certo dici nequit. Niesius putat necem ei

[1]) 'Explor. archéol de la Galatie' 1872 p. 188 sq.
[2]) XII, 5, 3 C 568 cf. Suid. s. v. *Κάστωρ*.

esse illatam iam ante quam Caesar in Galatiam incederet (p. 591 adn. 3). Attamen minime probabilis videtur talis opinio. Tarcondarii enim filius Castor Deiotarum a. 45 Romae accusavit, ut supra monuimus. Cuius accusationis caedes patris aut causa fuit aut a Deiotaro ultionis exigendae cupiditate postea facta est. Pro utraque sententia nonnulla afferri possunt. Sed ego quidem persuasum habeo patrem nondum fuisse interfectum, cum filius Romae accusationem paravit. Nam certe filius ipse hoc quoque de facinore apud dictatorem ad confirmandam causam suam verba fecisset. Fortasse Castores Deiotarum tum in res discriminis plenas adducere studebant propterea, quod ille semper id agebat, ut omnia sibi arriperet unusque fieret totius Galatiae tyrannus. Et altera accedit causa adhuc plane neglecta, qua sententia nostra firmatur. Suidas s. v. *Κάστωρ* exhibet haec: *Γήμας δὲ οὗτος* (sc. *Κάστωρ*) *Δηιοτάρου τοῦ Γαλατικοῦ*[1]) *θυγατέρα ἀνῃρέθη ὑπ' αὐτοῦ ἅμα τῇ γαμητῇ, διότι αὐτὸν Καίσαρι διέβαλεν.* Quo e loco apparet Castorem a Deiotaro necatum esse, quia illum criminationibus insectaretur. Diserte igitur narratur Deiotarum irae et ultionis cupiditate accensum id fecisse, ac quae tanta fuit huius irae causa quanta ea, quod Romae regem accusare Castores ausi sunt? His igitur e verbis mea quidem sententia consequitur Castorem post annum 45 demum esse trucidatum ac sententiae, quas viri docti protulerunt universa quadam plerumque deliberatione commoti, optime hac re comprobantur[2]).

Quae cum ita sint, Castor Tarcondarius a. 47 inter vivos fuit ac tetrarchiae quandam potestatem obtinuit. Ac mirum fuisset, nisi Caesar, cum Galatiam ordinavit, hoc facinus Deiotari comperisset ac vehementer vindicasset, praesertim cum opes huius regis frangere viresque diminuere sibi proposuisset.

Eodem autem modo, quo tres illos tetrarchas a Strabone memoratos a Pompeio constitutos esse putarunt, duos ibidem nominatos ad Caesarem referre studuerunt viri docti. At eius quoque rei vestigium nusquam invenitur. Cum Tarcondarius post annum 47 etiam vivus esset nec sine causa a Caesare neglegi posset, quoniam gentis ei erat ius ut Mithridati: eo ipso anno, quo Caesar Galatiam instituit, tres erant tetrarchae, quos quidem cognoscere possumus: Deiotarus, Castor, Mithridates.

Quae Strabo his de rebus tradidit, quamquam omnes nunc sic intellegunt, ut supra saepius expositum est, tamen cavendum, ne splendor huius sententiae sagaciter, ut videtur, excogitatae animi aciem

---

1) Traditum est *τοῦ συγκλητικοῦ*, quod plane perversum est. Coniecit Curtius Wachsmuth *τοῦ Γαλατικοῦ* erroremque sic exortum esse docuit:
1) *ΤΟΥ ΓΑΛΑΤΙΚΟΥ*
2) *ΤΟΥΟΥΓΑΛΑΤΙΚΟΥ*
3) *ΤΟΥϹΥΓΚΛΗΤΙΚΟΥ*

2) Cf. Perrot, expl. arch. p. 188 sq. — Gal. prov. p. 27. — Judeich ll. p. 153. — Fabricius p. 74; — Otto p. 171 ad nº 190.

perstringat. Quid tandem legimus? Nil aliud profecto ac quod iam exposuimus: imperium ad tres, deinde ad duos pervenisse h. e. res gradatim eo modo mutatas ac formatas esse. Utrum vero Romanorum iussu an potius ipsis Galatarum discordiis rerumque novarum studiis hoc acciderit, ex ipsis verbis disceptari nequit. Fortasse etiam conicere licet Strabonem haud ignorasse tum plures fuisse tetrarchas — tetrarches autem nominabatur quicunque e gente amplissima tetrarcharum originem sese petere profitebatur[1]) — e quibus primum tres, deinde duos potestate summos fuisse. Saepissime enim, ut Paulus Otto ll. pluribus docuit, geographus ille nil nisi capita rerum brevissime memorat singulaque exponere praetermittit. Atque imprimis in eis enarrandis, quae ad res gestas spectant et ex hypomnematis eiusdem auctoris sumpta libris geographicis inserta sunt, singula persaepe negleguntur ut e. g. ex hoc ipso loco cognoscitur, cuius in fine inter Deiotarum et Amyntam Castoris regnum quatuor annorum, utpote quod non magni fuerit momenti, a scriptore omittitur.

Ac contra tales institutiones a Pompeio et Caesare factas hoc quoque pugnare mihi videtur, quod illi imperatores id semper agebant, ut res, quales vi ac voluntate singulorum erant factae, quantum possent agnoscerent ita tamen, ut infirmis et oppressis ius regnumque restituerent et opes una manu congregatas dividendo — vario quidem eventu — deminuerent.

Quibus argumentis adducor, ut neque a Pompeio neque a Caesare res Galaticas ita esse institutas existimem, ut novo quodam ordine inducto tres, dein duo tetrarchae gentibus praeficerentur. Etsi ad Caesaris instituta non tam multa afferre potuimus quam ad Pompei, tamen res ipsa ne hic quidem quidquam habet dubitationis. Duo enim tetrarchae post Mithridatis demum mortem[2]) apparent: Deiotarus et Castor Tarcondarius. Sed quoniam perpauca tantum his de rebus tradita sunt, haec nomina fortasse casu quodam sola e ceteris servata sunt, et cogitare etiam licet de Deiotaro et Mithridate, quippe qui omnium fuerint summi, ita ut Strabo eos significarit, cum duos fuisse principes scripsit. Addendum est praeter illos nullum tum Galatam extra Galatiam ipsam regnum possedisse eaque de causa eos summos fuisse videri. At solis eis Caesarem Galatiam tribuisse — hoc verum haberi meo quidem iudicio nequit.

Reliquum est, ut pluribus verbis exsequamur, quomodo Caesar in Deiotarum statuerit. Judeichius enim iudicat (p. 149 sq.) in eis, quae his de rebus memoriae prodita sunt, multa esse, quae inter se repugnent. Quod iniuria contendi probabilibus argumentis firmare me posse spero.

Ac primum quidem concedendum est in 'bello Alexandrino' nihil

---

1) Cf. Judeich p. 155.

2) Mithridates a. 45/4 in Bosporo mortuus est, quo anno Asander illo victo regium usurpavit titulum cf. Mommsen, hist. Rom. V, p. 287 adn. 1.

omnino hac de re esse traditum. Sed addendum simul non magis inveniri, quod contra faciat. C. 68 enim narratur Caesarem Deiotaro oranti restituisse regium vestitum; 'de controversiis tetrarcharum postea se esse cogniturum'. Quomodo vero cognoverit, non nisi paucis verbis in capite ultimo totius libri attingitur, quo loco non continuatio quaedam seriesque rerum gestarum offertur, sed verbis universe positis hoc tantum dicitur: 'de controversiis cognoscit et statuit, iura in tetrarchas, reges, civitates distribuit'. Paullo post scriptor uberius loquitur de Mithridate Pergameno, qui rex nominatus sit Bospori ac iure gentis et cognationis Trocmorum acceperit tetrarchiam. Qua occasione data Deiotari fit mentio: tetrarchiam enim Mithridati adiudicatam paucis ante annis occupatam et possessam fuisse a Deiotaro. Continenter igitur auctor huius libelli omnino non refert de ratione, qua Caesar de tetrarchis ac praecipue de Deiotaro cognovit. Quod de illo traditur, fortuito ut adnotatiuncula quaedam intermissa additur ac sine scriptoris ipsius consilio Deiotari res pluribus persequendi. Ex huius igitur auctoris silentio plane nihil hic licet concludere neque est, cur illum his de rebus nil scivisse dicamus. Immo contrarium verum esse videtur. Fortasse optime ille compertum habuit, quomodo Caesar regem tractasset; sed noluit hanc quaestionem tangere. Cum enim, ut Judeichius ipse profitetur (p. 7 sq. cf. 11), res perscribat summa erga Caesarem benevolentia ductus omniaque ut potuit, silentio praetereat, quae ei non laudi sint, ecquam nobis admirationem movet, si hoc quoque loco illud artificium tacendi adhibet?

Apud Dionem Cassium diversa quaedam extat memoria. L. 41, 63, 3 legitur Ariobarzanem accepisse partem Armeniae; Caesarem autem nihil Deiotaro hac re obtrectasse. Armeniam enim a Pharnace expugnatam fuisse regionesque illius e manibus ereptas denuo inter Deiotarum et Ariobarzanem divisas esse. L. 42, 48, 3 autem narratur a Caesare omnia esse reddita eis, qui antea possessores fuissent praeter partem quandam Armeniae. Cum autem apud Dionem, ut Judeichius ipse primus cognovit (p. 155), Armeniae voce aliud significetur atque apud ceteros illius aetatis scriptores et e. g. etiam regionis Ponticae partes comprehendantur[1]), hoc quoque recte se habet nec contra pugnat. Nam de tetrarchis ne hic quidem scriptor verba facit, eaque, quae exsequitur, cum veritate optime conciliantur. Trocmorum enim tetrarchiam non ab initio Deiotarus possidebat eaque de causa non erat obtrectatio eius regni, si Caesar eam reddidit illi, cui melius erat ius. Armeniae vero pars, quae Ariobarzani data est, vulgo vocatur Armenia minor, eaque, quae ex Armenia reddita sunt regi, regiones erant Ponticae a Pharnace antea occupatae.

Quod denique Judeichius contendit Ciceronem non uno eodemque modo his de rebus iudicare, sed variis temporibus diverse, recte quidem rem ipsam se ita habere equidem profiteor ita, ut repugnare inter se

---

[1]) l. 42, 47, 1.

videantur illi loci. At si paullo accuratius consideraverimus, quae traduntur, iam cognoscemus omnia optime inter se concinere.

Primum enim Judeichius scribit in oratione pro rege Deiotaro habita Ciceronem eius rei nullam facere mentionem nec quidquam commemorare, ex quo appareat Deiotari regnum a Caesare esse deminutum. Sed ne hoc quidem recte adnotatum. Nonne enim mentio est, si § 13 scripta extant haec: 'Quid enim retineat [Deiotarus] per te [Caesarem] meminit, non quid amiserit'? Dein autem quid est cur miremur, quod Cicero hac in oratione quantum potuit id maxime agebat, ne quid longius dissereret de eis, quae Caesar acriter in Deiotarum statuerat? Nil Ciceroni tam alienum a consilio totius orationis esse debebat, quam attingere res, quae ei, quem defendit, detrimento essent causamque indicarent, cur in dictatorem rex inimico esse posset animo. Ac quis dubitet, quin regni deminutio huius odii fuerit causa? Ciceronis igitur silentium non solum non mirum, immo necessarium sine dubio est.

Oratorem autem ipsum haud ignorasse, qua ratione Caesar Deiotarum tractarit, aliis locis perspicue docemur. De div. I, 15, 27 legitur a Caesare regem tetrarchia et regno pecuniaque multatum esse, id quod ad veritatem paene accedit. Tetrarchia enim significantur Trocmi, regno Armenia minor. Libri autem duo de divinatione inscripti post Caesaris demum mortem, ut constat, in lucem sunt editi eaque de causa non erat, cur Cicero dictatoris ullam haberet rationem, itaque libere his de rebus locutus est. Ib. l. II, 79 regis favore commotus vehementissime in Caesarem invehitur, quod illi Trocmorum tetrarchiam et Armeniam a senatu datam eripuerit. Eodem modo denique in Phil. or. II, 94 acriter Divo Julio obicit quod regi has terras 'abstulit'. Quo loco animi concitati adfectus, ut est in orationibus Philippicis, plane perspicitur, et Cicero modum excedit, cum dicit Deiotarum iustum fuisse possessorem earum regionum, quae in sua erant potestate, cum Caesar Galatiam instituit. Quod a vero longe abhorrere iam exposuimus.

Quae cum ita sint, in eis, quae tradita sunt, omnia bene congruunt neque inveniuntur, quae aut inter se aut contra verum repugnent. Res ut sunt factae optime cognoscuntur, et auctores quamquam diversis coloribus mutati tamen eadem proferunt vel certe indicant. Ac nulla relinquitur dubitatio, quin Deiotaro regnum confirmatum, Trocmorum tetrarchia adempta, Armenia minor a Pharnace capta Ariobarzani regi sit attributa.

Caesare interfecto Deiotarus suo quidem Marte res suas sibi recuperavit neque, ut sibi liceret hoc facere, a Romanis petivit (Cic. Phil. II, 37, 95). Cum autem Mithridates iam a. 45/4 cecidisset pauloque post Castor Tarcondarius necaretur, mox ille una cum

Trocmorum tetrarchia totam sibi usurpasse videtur Galatiam, quae ex illo tempore nunquam divisa est. E Caesaris autem testamento, ut aiunt, Antonius postea ratum habuit, quod Deiotarus sibi sumpserat, et id uno ex illis decretis famosis, 'de rege Deiotaro' scilicet, quo Caesar, regi tam inimicus, omnia illi — mirabile dictu — concessit[1]).

Ante pugnam igitur Philippensem Deiotarus rex possidebat: 1) omnes Galatiae tetrarchias, 2) Armeniam minorem, 3) partes Ponti circum Pharnaciam et Trapezuntem usque ad Colchidem sitas.

Temporibus autem pugnae Philippensis primum in scaenam prodiit Amyntas, cuius ad vitam resque gestas describendas iam aggrediamur. Sed priusquam ipsum propositum peragere incipiamus, tabulam interponere nobis liceat, qua tetrarcharum familia, quantum cognoscere possimus, indicetur.

Caput IV.

Adnotationes ad tetrarcharum stemma.

(V. tab. p. 25.)

1) Deiotari regis avo idem Deiotari nomen fuisse Gelder (p. 283 adn. 4) ea ex causa conclusit, quod Brogitari quoque pater Deiotarus nominatus est, id quod indicare videtur eundem utrique Deiotaro fuisse avum. Sitne recta haec coniectura diiudicare equidem non audeo.

2) Sunt tria fragmenta inscriptionis cuiusdam, quae sic leguntur (cf. C. i. Att. III, 544):

[ὁ δῆμ]ος
Δηιοτ[αρον Δομ] νοριγος
Γαλ[ατῶν βασιλέα ἀρετῆς ἕνεκα].


Unum corrigendum esse videtur, scil. *βασιλέα*. Legendum potius existimo *τετράρχην*, si titulum tali modo reficere volumus. Nam *regnum* Deiotari — neque non Amyntae — non erat Galatia, cuius fuerunt tetrarchae, sed aliae regiones. Castor inter eos intermissus nunquam rex appellatur. — Patris nomen, etiamsi non certum est supplementum, tamen mihi quoque bene restitutum videtur.

3) A Cicerone in ep. ad Att. V, 21 traditur Deiotari filio pactam esse Artavasdis filiam. Num vero eam in matrimonium duxerit, ut Gelder statuit (p. 288), sciri nequit.

4) Deiotarus, cui cognomen est Philadelpho, Castori patri successit a. 36 in Paphlagonia (cf. Otto ad fragm. 219). In pugna Actiaca ab Antonio ad Octavianum transiit (Plut. Ant. 61, 63; Dio

---

[1]) Cic. Phil. II, 93 sq. ad Att. XIV, 12, 2; 19, 2 cf. Phil. V, 4, 11.



50, 13). Quem genti Pylaemenidum propinquitate quadam fuisse coniunctum, Mommsenus primus vidit ('Numism. Zeitschr.' XV, p. 217 adn. 2), ad quem delego qui accuratius haec cognoscere velint.

5) De Mithridate Pergameno sagacissime disseruit G. Hirschfeldius (Herm. XIV p. 474 sq.) neque quidquam restat dubitationis, quin filius ille fuerit sororis Brogitari, Trocmorum tetrarchae. Matris autem nomen ex titulo Lesbio quodam cognoscitur ac Strabonis testimonio firmatur (XIII, 4, 3 C. 625).

Caput V.

De Amyntae regis nomine ac patria.

Qua ex terra quibusque e parentibus Amyntas rex ortus sit, nec traditur nec certo aliis e rebus erui potest. Hoc unum constat eum non esse natum e genere tetrarchico. Nam semper quasi homo novus describitur, ac cum primum commemoratur, scriba est Deiotari (Dio 49, 32), quod munus non suscepit, qui tetrarcharum e stirpe oriundus erat[1]). Parentes igitur, qui fuerint, nescimus.

Iam si quaerimus, quae fuerit patria, ex ipso nomine aliquid concludere licet. Nam Amyntae nomen, quod haud raro invenitur, Macedonum est proprium, id quod nullis eget testimoniis. Ut multi alii Macedones Amyntae quoque maiores cum Alexandri exercitibus in illas venerunt regiones ibique remanserunt.

Quamquam igitur Amyntas rex nomen habet Macedonicum itemque Pylaemenes filius Paphlagonicum, tamen Perrotus scribit Gallico genere eos ortos esse videri. 'Vix enim' ait 'Galatae, plebs armatorum et proceres — — se ab alienigena homine, a Graeculo quodam, fortunae filio, regi passi essent eaque rei militaris peritia, ea audendi periculique lacessendi temeritas, qua Amyntas aspero contra montanos praedones bello semper occupatus insignis est, Galli potius hominis est quam Phrygii aut Graeci' (p. 87 sq.). Exinde demonstrare contendit Mithridatis temporibus tetrarchas, qui memorantur, Gallica prae se tulisse nomina; sed iam in titulo quodam Tiberio imperatore marmori inciso partem principum Graeca aut Romana sibi indidisse nomina.

Quod priore loco Perrotus exposuit, praetermittere licet. Quid enim impedit, quominus eadem de causa, scilicet quod rei militaris tam fuit peritus, Macedonem illum fuisse statuamus? Sed etiam

[1]) De hoc munere cf. p. 27 sq.

alteram quam affert causam probare non possum. Nam talis viri, qualis Amyntas erat, nomen mutari non potuit. Qui ab inferioribus gradibus progressus est ad summum imperium, initio profecto non habebat nomen iam principum more commutatum. Namque illa quidem tempestate mos nomina ratione Graeco-Romana imponendi non tam erat communis et usitatus, ut plebis familiae eo uterentur. Universum in usum illa consuetudo non venit ante ea tempora, quibus Galatia in provinciae formam redacta est, ut exempla a Perroto ipso allata docent. Ac tum principes nobilesque initium fecerunt neque eae populi partes, e quibus Amyntam ortum esse cognovimus. Ac si forte ipse ille nomen mutasset potestatem quandam iam assecutus, aliud certe sibi sumpsisset nomen atque hoc Macedonicum, tetrarchicum nimirum vel etiam imperatoris Romani, ut alii fecerunt principes illorum temporum e. g. Polemo, cuius in nummis legitur nomen M. Antonius Polemo[1])

Non igitur est, cur recedamus a sententia nostra, ac pro certo licet affirmare Amyntam neque tetrarchica neque omnino Galatica oriundum fuisse gente, sed Macedonica suaque ipsius virtute ab inferioribus ascendisse ad superiora.

Caput VI.

De Amynta, Deiotari regis scriba, et regni Galatici successione.

Primum Amyntas in publicum processit a. 42 a. Chr. Erat tum scriba Deiotari regis, imperatorque copiarum auxiliarium ad Brutum et Cassium missus pugnae adfuit ad Philippos commissae (Dio 47, 48 cf. 49, 32).

Quae munera et scribae et imperatoris saepius coniuncta inveniuntur in diadochorum ut dicunt regnis et altiorem quendam dignitatis et honoris gradum indicare videntur. Memoria tenemus etiam Eumenem scribam fuisse regium Alexandri eodemque modo quo Amyntam simul cum hoc magistratu imperium tenuisse militare. Ac simillimo modo utrique libertas quaedam erat agendi et potestas res suo ipsorum arbitrio gerendi, quae ex illa certe emanavit dignitate multumque adiuvit, ut ipsi succederent regnoque potirentur. Simile ac fortasse idem fuisse videtur munus quoddam in civitate Pergamena, cuius indoles inscriptionibus sic significatur: ὁ ἐπὶ τῶν πραγμάτων[2]).

[1]) Cf. Waddington, mél. de num. II p. 109 sq.
[2]) Inscr. Perg. p. 109 nº 176 cf. adnotationes.

Praeterea hic titulus eadem aetate occurrit in regno Syriaco[1]. Haud dubium est, quin hoc quoque institutum originem duxerit a Macedonibus, apud quos primum invenitur. Comparari autem posse videtur vir hac dignitate exornatus cum eo, quem nostro in imperio vocamus Cancellarium. Summus erat civitatis magistratus, primus totius regni minister. Ut Eumenes Alexandro, ut Menogenes Eumeni, Pergami regi, alii Syriae regulis, sic Amyntas fuit Deiotaro regi proximus et magistratuum princeps.

Hac igitur potestate instructus Amyntas cum Galatarum copiis Bruto auxilio missus pugnae interfuit Philippensi. Post priorem autem pugnam cum equitibus IↃↃ a coniuratis transiit ad Octavianum et Antonium (Dio 47, 48 cf. Zon. 10, 19).

Quaeritur, utrum sua sponte suoque periculo an Deiotari iussu hoc consilium inierit. Mommsenus priorem defendit sententiam[2]) ipsoque ex transitu concludit Amyntam iam tum ad gubernacula rei publicae accessisse et pro Deiotaro imperium quasi vicarium tenuisse. Attamen per se liquet Amyntam a rege mitti non potuisse nisi iussum ita agere, ut res postularent, neve occasionibus deesset. Nam fieri profecto non potuit, ut Amyntas spatio tam longo interiecto per nuntios, si quid accidisset, rogaret, quid rex fieri iuberet. Ut at omnem eventum esset paratus, licentia quaedam agendi danda ei erat. Ceterum ipsi Mommseni opinioni obstare mihi videtur, quod Amyntas regi non ipse successit, sed Castor.

Fortasse tota haec quaestio cohaeret cum successione imperii in Galatia facta; quapropter quae fuerint illa aetate Galatarum res, breviter animo perlustremus!

Haud ignotum est Deiotaro fuisse filium eiusdem nominis, cui Caesar itemque senatus regium concesserat titulum[3]. A. 42 Deiotarus pater etiam vivus fuit et Bruto auxilia illa misit Amynta imperatore, quoniam ipse admodum erat senex, ut Dio testes est. Qua ex re fere omnes concludunt filium ante patrem esse mortuum neque iniuria. Nam quae tandem fuit causa, cur rex non filium imperatorem copias ad bellum educere iuberet, sed Amyntam tanta afficeret potestate? Filius autem a. 43 vivus memoratur a Cicerone (Phil. XI, 31 et 33). Paullo post mortuus esse videtur. Neque enim de poena ab Antonio ei irrogata nec de tetrarchia ei tributa vel regno adiudicato quidquam traditur. Quomodo vero tam subito ille e vita decesserit nescimus. Suspicari licet contra omnium expectationem hoc evenisse. Cicero quidem a. 43 verbis amplissimis de illo loquitur: "summam esse in filio spem, summam ingenii indolem summamque virtutem". Cum igitur in Galatia is e vita decessisset, qui unus fuit destinatus in

---

[1]) Bull. de corr. hell. I, 285; II, 364 e. a.
[2]) Hist. Rom. V p. 312 sq.
[3]) Cic. pro rege Deiot. 13, 26; ad Att. V, 17; Phil. XI, 12, 31; cf. ib. 13 et Deiot. 9, 25.

principatu successor, nonne facile adducimur, ut putemus Amyntam angustias istas in suam convertere rem ipsumque regni fieri heredem voluisse? Quo fortasse consilio commotus ad eos transiit, quos victores futuros esse existimabat, et Antonium triumvirum sperabat fautorem sibi futurum esse magna auctoritate, qui multum valeret ad perficienda consilia sua Galatiae regni adipiscendi. Neque spem postremo ad irritum cecidisse nemo ignorat. Quamquam Galatia Deiotaro mortuo non illi, sed Castori data est, cui maius erat ius, quod Antonius neglegere non potuit. Quod factum est iam a. 41 a. Chr.[1]).

Quin vero Deiotarus pater superstes fuerit pugnae Philippensi, dubitari nequit, id quod quamquam nonnulli iam suspicati sunt, tamen nondum certo firmatum est argumento. At est argumentum quoddam firmum et indubitatum, ex quo efficitur, illum aperte ad triumvirum causam sese applicuisse. Est enim nummus quidam Deiotari, in quo imago Fulviae, M. Antonii uxoris, impressa est, id quod primus suspicatus est Victor Gardthausen. Species describitur sic[2]):

Caput mulieris; alae umeris affixae.

R. Aquila alis expansis insistens scipioni cuidam vitta circumplicato. Utrimque Dioscurorum pilei stella ornati. *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΙΟΤΑΡΟΥ.*

Initium faciamus a parte aversa. Ac primum quidem memorandum videtur eandem fere aquilam in nummo Brogitari esse expressam. Qua ex causa concludere licet typum illum fuisse Galaticum. Sceptrum quoque vittatum utroque in nummo fictum est, quamvis forma hic descripta non plane eadem sit et fortasse melius coniungatur cum sceptro in Amyntae nummis impresso, de qua re infra erit agendum. Dioscurorum autem pilei nullam parant difficultatem interpretandi. Significant profecto nil aliud nisi duos illos triumviros, qui praecipue illis in regionibus summum obtinebant imperium: Antonium et Octavianum. Lepidus etiam alias saepe neglegitur. Et in Asia potissimum praeter Antonium Octavianus solus erat imperator, cui potestas quaedam erat. Quibus in Asia res gerentibus Deiotarus se ipse subiecit gratiamque eorum, ut hoc e nummo elucet, assentatiunculis aucupari studebat. Nec mirum est, quod duo tantum triumviri in nummis inveniuntur cf. Cohen, descr. de méd. imp. I, p. 48 sq.

Sed iam ad frontem huius nummi accedamus! Imaginem eo impressam adhuc simplicem esse Victoriae effigiem pronuntiarunt viri docti. Ac recte quidem; nam dubitari nequit, quin figura alis ornata ea significetur. Attamen mirum in modum factum est, ut facies sola poneretur nec totius corporis figura, qui typus Victoriae erat notissimus cf. e. g. Amyntae tetrachma. Deinde qui propius inspexerit,

---

[1]) Cf. Gelder, p. 294.
[2]) Cf. Sallet 'Num. Zeitschr.' XII, p. 371; Head, hist. num. p. 629; Sestini, lettere II, p. 176 tab. III, 56. — Imagines praebent Sallet et Sestini. Extare tria exemplaria Sallet indicat.

statim animadvertet faciem non in formam pulchritudinis undique perfectam esse fictam ut est in deorum imaginibus, sed vultus esse duros ac fere vulgares, ita ut certi cuiusdam hominis esse videantur. Quae suspicio ad magnam adducitur probabilitatem, si oculos attendimus ad comae suggestum. Coma more usitato a fronte in partem capitis posticam leviter compta in cervicibus nodo quodam finitur. Sed accedit tutulus vel torus quidam, qui supra frontem incipiens in utraque capitis parte usque ad illum nodum perducitur. Quae consuetudo crines ordinandi adhuc non nisi in imaginibus Liviae, Fulviae, Octaviae inventa est. Bernoulli autem haec de ea disseruit: Jene eigenartige Frisur mit den über die Stirn wulstartig vortretenden und dann über den Kopf zurückgelegten Scheitelhaaren (Ov. ars am. III, 139 sq.), denen im Nacken ein kleiner Zopf, seltener ein Knauf das Gegengewicht hält, ist die spezifische Mode des Augusteischen Zeitalters. So auf Bildern der Livia und Münzen der Fulvia, Octavia. Julia (nescio qua de causa haec!) e. q. s. ('Röm. Ikonogr.' II, p. 110). Optime qualis fuerit haec consuetudo, perspicitur in nummo quodam Fulviano, ut dicitur[1]), in quo imaginem Fulviae esse impressam Waddington demonstravit ('rev. num.' 1853 X, 5 p. 248). Cusus est hic nummus in Phrygia, Eumeniae videlicet, quod oppidum ipso cognomine Fulviano ornabatur. Eisdem attribuendus est temporibus, quibus ille Deiotari. Cum eodem comae suggestu eademque forma Victoriae Fulvia hic fingatur, nulla dubitatio relicta est, quin etiam hoc in nummo imago Fulviae, uxoris illius famosae Antonii, incisa inveniatur. Etsi Victoria crinibus similiter suggestis fingi potuit — nam deorum imagines saepissime pinguntur et formantur ea consuetudine vestis et comae ordinandae, quae ea ipsa aetate in usum venerat — tamen in nummis illis in regionibus cusis mirum haud dubie esset, si Victoria eo modo ornata videretur, quo mulieres nobiles Romanae.

Neque argumentum gravissimum omittendum est: similitudo utriusque faciei. Si vultus comparamus, et toto ex habitu et singulis e rebus, ut ore naso mento, cognoscimus eandem depictam esse mulierem. Cf. imagines l. l. et apud Cohen l. l. I, 51 descriptas[2]).

Elucet igitur Deiotarum superstitem fuisse pugnae Philippensi atque ut totam per vitam, sic etiam in fine propriam naturam secutum victorum partes capessivisse triumvirumque imperio sese ipsum subiecisse. Tempus autem, quo Deiotarus rex diem obiit supremum, terminis iam arte definitis circumscribi potest: annis scilicet 42 et 41 a. Chr.

---

[1]) Cf. Bernoulli ll. I, tab. IV, 92.

[2]) Optime coniectura nostra comprobatur marmore quodam Albano nuperrime reperto, quod Fulviae esse simulacrum docuit Helbig in 'monum. ant. pubbl. della acad. dei Lincei' I (1891) p. 573. Cf. puntat. III tab. I et II.

Caput VII.

De rebus ab Amynta rege gestis.

Deiotaro mortuo Galatia Castori illi tributa est. Quod Strabo tradidit Amyntam Deiotaro successisse, rebus re vera gestis non respondet.

Cetera quae Deiotarus possidebat — *regnum* quod nominabatur proprium, quoniam Galatiae nunquam fuit rex (Strab. XII C 547) — eodem tempore a Galatia seiuncta esse videntur. Neque enim audimus Castorem una cum Galatia etiam Armeniam minorem regionesque Ponticas accepisse, neque hae partes comprehenduntur eis, quae Amyntae a. 36, quo Castori in Galatia successit, attributa sunt. Statuendus igitur est huius regionis dynastes quidam nobis ceteroquin ignotus usque ad annum 33 a. Chr., quo Polemo, Ponti rex, in illius venit potestatem[1]).

Amyntas autem ab Antonio propterea, quod transierat reique militaris peritia maxime videbatur esse insignis, rex appellatus est Pisidiae (App. emph. V, 75). Quod factum est iam ante annum 39, priusquam Antonius in Asiam revertit[2]). Apparabat tum triumvir bellum Parthicum copiasque quam potuit maximas cogere studebat. Itaque beneficiis sibi obstrinxit multos Asiae regulos eisque titulos regnaque concessit.

Hoc autem etiam atque etiam premendum est Amyntam iam eo anno r e g e m esse appellatum neque anno demum 36, quo Galatiae praefectus est. Quod quamquam ab omnibus fere neglegitur, tamen perspicue apparet ex Appiano, qui l. l. scribit haec: *ἵστη δὲ καὶ βασιλέας*. Cumque accedat, quod Galatia sola hunc titulum Amyntae non indidisset, dubitari nequit, quin huius terrae r e x fuerit Amyntas, neque est cur recedamus ab Appiano.

Quae Pisidiae regiones Amyntae expugnandae plerumque erant, cum occupatae essent a gentibus nondum cuiquam subiectis. Sed his de rebus cf. cap. VIII. Quantum rex primis annis in regno subiciendo profecerit, dici nequit. Quamquam verisimile sane est nonnulla, quae Strabo continua quadam narratione tradit (XII, 6, 4 C. 569), partim iam illa aetate facta esse, tamen eis ipsis temporibus non tam sui ipsius imperator quam Antonii triumviri minister fuisse videtur. Singula quidem persequi haud possumus, quoniam paucula vel fere nihil memoriae supersunt.

A. 36 cum tandem Antonius ipse multis comparatis copiis in Parthos proficisci voluit, iterum nonnulla nova instituit et Amyntae

---

[1]) Dio 49, 33 et 44. Marquardtus hanc lacunam non animadvertisse videtur.

[2]) Mommsen, hist. Rom. III, p. 308 adn. 1.

regi, quem ea, quae ille speraverat, explevisse laudemque imperatoris peperisse statuere licet, Galatiae tetrarchias assignavit una cum partibus quibusdam Lycaoniae et Pamphyliae (Plut. Ant. 36 Dio 49, 32). Castor ille, quem Deiotaro in Galatia successisse vidimus, fortasse mortuus erat. Vel si hoc mavis, putare etiam licet e regno illum esse amotum aliaque in terra, Paphlagonia fortasse, collocatum. Constat enim filium eius, Deiotarum Philadelphum, postea huius regni fuisse dynasten. Equidem verisimilius esse censeo Castorem mortuum esse.

Num eodem anno Amyntas expeditioni illi ab Antonio contra Parthos susceptae interfuerit nescimus. Verisimile videtur eum, qui tantis opibus ab imperatore erat exstructus, fortasse eo ipso consilio, ut contra Parthos auxilium ferret, etiam profectum esse cum Antonio in illud bellum famosum, quod haud prospere evenisse notum est. Traditum vero nihil est.

De rebus autem anno sequente gestis scriptores nonnulla reliquerunt, et comperimus Amyntam multum ad Sextum Pompeium comprehendendum tribuisse[1]).

Sextus Pompeius a. 35 in Asiam a Sicilia profectus in fidem et clientelam Antonii sese commiserat. Nihilo secius occulte copias sibi comparabat Antonioque insidias cuiusque generis moliebatur. Quare C. Furnius, Antonii legatus, qui Asiae imperium tenebat, veritus, ne subito ille impetum faceret, copias contraxit e subiectis gentibus et Ahenobarbum, proximi exercitus ducem, et Amyntam regem ad se vocavit. Pompeius vero cum mendaciis non diutius propositum celare posset, ipse Lampsacum oppidum proditione cepit. Cyzicum autem a gladiatoribus illa in urbe pro M. Antonio instructis fortiter defensum expugnare non potuit. Tum in Troade victoriam reportavit a Furnio ac Nicaeam et Nicomediam in suam redegit potestatem. Cum autem Antonii classis e Sicilia advecta cum Titio sese coniungeret, Pompeius naves suas incendit bellumque terra solum gerere constituit. Quibus factis haud pauci, quorum consilia ille non curaverat, ducem deseruerunt et ad hostes transierunt. Quapropter noctu in mediam Bithyniam confugit. Quem statim persecuti Furnius, Titius, Amyntas, sub vesperum in cursu nancti fecerunt castra neque ea vallo fossaque circumdederunt rati noctem sibi praesidio futuram esse. Pompeius autem ea ipsa nocte illos cum peltastis aggressus

---

[1]) In his rebus describendis sequimur Appianum, qui auctor est accuratissimus omnium, qui de eis egerunt. Fons autem, ex quo hortulos suos irrigavit, fortasse Strabonis erat opus historicum *ὑπομνήματα*, ut Otto l. l. docuit. Alter, apud quem eadem, sed paulo brevius ac minus diligenter inveniuntur, est Dio Cassius. Qui Amyntae nomen omnino non commemorat. Neque inde concludendum est illum ignorasse regem ipsum interfuisse. Nam primum singula neglegit; deinde autem e descriptione ab Appiano data liquet Amyntam non errore quodam hic esse nominatum. Neque enim uno tantum loco quasi in transitu memoratur, sed praecipuum tenet locum totius descriptionis (emph. V, 137 sqq.).

multos interfecit et aliquantum eos post se reliquit. Qui tamen nihilominus vehementer eum secuti fame et inopia adeo presserunt, ut ad colloquium cum Furnio venire vellet. Qua venia data Furnius, quocum solo sese esse acturum Pompeius dixerat, respondet: non ad se ille sese conferret, sed ad Titium, qui iussus esset aut armis illum persequi mortique tradere aut, si pacem praeferret, ad Antonium cum summis deducere honoribus. Pompeius vero cum odio arderet in Titium, quem ingratum esse iam satis cognoverat, nec Furnium adduceret, ut aliter sentiret, sese Amyntae traditurum esse dixit. Ne hac quidem conditione a Furnio accepta discesserunt. Tum Pompeius, quem tamen se esse Titio traditurum omnes expectabant, noctu castrorum ignes, stationes, tubas, ut erat usus, curari iussit, cum ipse paucis cum expeditis e castris effugit ac quam celerrime ad mare proficisci Titiique classem incendere volebat. Quod propositum certe consecutus esset, nisi Scaurus eius consilia prodidisset. Quibus auditis Amyntas cum equitibus MD persecutus Pompeium, qui non erat equitatu paratus, mox urgebat. Ille autem, cum eo tempore plerique transirent, ab omnibus fere derelictus in Amyntae fidem ac potestatem nullis propositis conditionibus sese commisit. Eodem anno (35) Mileti iussu Titii supplicio capitis affectus est[1]).

Sic Amyntae regi contigit filium illum Pompei Magni capere simulque bellum ab eo continuatum conficere. Videmus rursus fuisse rei militaris peritiam fortitudinemque, qua excellebat hac quoque in expeditione. E Galatarum equitibus optime instructis omnibus temporibus Romani magnum ceperunt fructum neque semel tantum Galatae res felicem ad exitum perduxerunt.

Cum bellum inter Octavianum et Antonium exardesceret, Amyntas rex a partibus stetit Antonii, patroni sui optimi. Ut autem omnibus de rebus in hoc bello Actiaco gestis, sic etiam de Amynta pertenuem et exiguam habemus notitiam. Constat hoc unum ad Octavianum illum transfugisse. De singulis autem rebus certi quidquam non comperimus ac praecipue, quo tempore pugnae transierit, diversae sunt sententiae.

Cassius Dio (50, 13 cf. Zon. 10, 29) refert Antonium, cum videret a plerisque sese derelinqui, veritum ne etiam Qu. Dellius et Amyntas, quos in Thraciam et Macedoniam ad conducendos milites miserat, defectionem molirentur, profectum esse ad eos per simulationem auxilii eis ferendi, si quid acciderit. Utrum vero eos asse-

---

[1]) Mileti nomen tradunt Strabo (III, 2, 2, C. 141) et Appianus (l. l.). Apud Strabonem Kramer e schedis Lachmanni correxit *Μιδαείῳ* e Dion. Cass. 49, 18. Attamen nequaquam haec sententia defendi potest. Namque et Strabo et Appianus dicunt Pompeium interfectum esse Mileti. Dio contra scribit Midaei illum esse captum ac postea interfectum. Quod quo loco sit factum, silentio praetermittitur. Optime igitur utrumque conciliatur neque corrigendum est.

cutus sit necne nescimus. Dio ad res Actiacas narrandas redit neque Amyntam transfugisse omnino commemorat.

Deinde apud Plutarchum (Ant. 61) legimus Amyntam Antonio ad bellum Actiacum auxilia submisisse. Ipsum autem non adfuisse e verbis plane apparet. Nam postquam memorati sunt, qui ipsi venerant, sequuntur haec: ἐκ δὲ Πόντου Πολέμων στρατὸν ἔπεμπε καὶ Μάλχος ἐξ Ἀραβίας καὶ Ἡρώδης ὁ Ἰουδαῖος· ἔτι δὲ Ἀμύντας ὁ Λυκαόνων καὶ Γαλατῶν βασιλεύς. Deinde idem c. 63 auctor est ad Octavianum transiisse reges Amyntam et Deiotarum ante pugnam navalem. Deiotarus autem rex est ille Paphlagoniae, cui cognomen Philadelpho. Qui quando transfugerit, Dio Cassius accuratius enarrat (50, 13). Cum enim equites Antonio succurrentes a M. Titio et Tauro Statilio fugati essent, multi defecerunt, inter quos et Deiotarus. Quod Gelder dicit (p. 295) Plutarchum priore loco errare vel negligenter loqui, cum c. 63 Amyntam ipsum adfuisse tradat, non recte adnotatum est. Neque enim e Plutarcho concludendum est regem in ipsa acie ut ita dicam transiisse; sed verba optime sic intelleguntur, ut simpliciter transitus loco et tempore neglecto significetur. Atque eadem traduntur a Velleio Paterculo[1]).

Neque obstat denique testimonium quintum, quod est apud Horatium in epod. IX, carmine illo ad victoriam Actiacam celebrandam composito:

> Ad hoc frementis verterunt bis mille equos
> Galli canentes Caesarem[2]).

Nullus alius auctor tam expressis verbis illud Galatarum transfugium commemorat. Attamen sequiturne ex iis Amyntam adfuisse? Plutarchus memoriae prodidit regem auxilia misisse. Quid igitur impedit, ne ea ipsa esse statuamus, quae Horatius illis effert laudibus?

Itaque omnia, quae a scriptoribus narrantur, optime conciliantur neque ullus scrupulus restat. Amyntas cum Qu. Dellio in Macedoniam missus defectionem moliebatur. Quare Antonius timore commotus in eam regionem profectus, sed fortasse eos non assecutus est. Auxilia vero ab Amynta iam antea, initio totius belli, submissa esse e Plutarcho scimus nec verisimile insuper videtur cum exercitu illum in Macedoniam ivisse. Num autem e Macedonia omnino non redierit, ut Drumannus putat (hist. Rom. I, 477), diiudicari nequit. Statui sane cum probabilitate quadam licet eum non ad ipsam aciem revertisse, cum metueret, ne eadem in se animadverteret triumvir crudelitate, qua in omnes, quos suspectos tum habebat e. g. in Iamblichum et Qu. Postumium.

Hoc unum igitur certum est in eis, qui antequam pugna fieret ultima et gravissima, ad hostes transfugerunt ab Antonio, etiam

---

1) II, 84. ubi Haasii accipio coniecturam.
2) V. 17 sq. 'Ad hoc' corr. Bentleius.

Amyntam regem fuisse, cuius copias ducis exemplo postremo secutas esse ex Horatio comperimus.

Augustus autem, cum summam omnium rerum potestatem in se unum ipse contulisset, et Archelao, Cappadociae regi, et Amyntae pepercit regnumque, cui praefuit, denuo ei concessit (Dio Cass. 51, 2). Atque addidit etiam Ciliciam Asperam, quae Cleopatrae antea ab Antonio data tunc quidem vacabat[1]), et permisit, ut regnum amplificaret ac quae nondum essent capta, expugnaret.

Sed priusquam proficere posset, defendere causam suam Amyntas coactus est. A. 30 enim, cum Antonius causa iam perdita Antiochiam confugisset, fidem illi servarunt homines contempti quidem, tum vero meliores multis, gladiatores, qui Cyzici ad ipsius Antonii ludos et spectacula comparabantur et exercebantur (Dio 51, 7). Qui cum de domini clade ac calamitate audivissent, statim ut ei laboranti succurrerent, ad Nilum versus profecti sunt, quo in itinere multa intulerunt detrimenta et Amyntae regno et Tarcondimoti filiis in Cilicia. Denique a Qu. Didio, praetore Syriae, acriter pressi, cum Antonius nullas mitteret litteras, sese submiserunt illius potestati ea conditione, ne gladiatores essent in posterum. Quibus in perturbationibus Amyntam suam ipsius causam regnumque defendisse credere licet. Traditum vero nihil est ac fortasse ne ipse quidem illo tempore domi erat.

Quantum autem profecerit in regno suo expugnando et firmando Augusto imperatore, e Strabone comperimus. Qui tradit (XII, 6, 3) cepisse illum Derben et Larandam in Lycaonia meridionali sitas regnumque Antipatri Derbetae, latronum ducis tyrannique praepotentis, delevisse eique ipsi mortem obtulisse. Quibus factis regiam aedificare coepit Isaurae vetere eiusdem nominis urbe destructa. Sed opus perficere ei non contigit. Nam rursus medias in illas gentes ferocissimas Taurique in ipsa viscera penetravit, ac prospere initio hoc evenit, cum multa castella, in quibus Cremna, everteret. Cum autem Homonadensium interiora adiisset, per uxoran illorum principis insidiis captus simulque interfectus est[2]). Quod factum est a. 25 a. Chr. vel paullulo antea. Nam hoc quidem anno Augustus Galatiam in provinciae formam redegit Amynta mortuo, ut Dio scribit (53, 26)[3]).

Sic Amyntas rex praematura morte e vita decessit regno nondum omni ex parte expugnato, regia nondum exstructa. Maximas gessit res in bellorum tumultu neque in pace civitatisque forma bene instituenda easdem perfecit, neque ut res erant, perficere potuit.

---

1) Cf. Otto ll. p. 189.
2) Strab. l. l. Cf. mon. Ancyr. p. 177.
3) De aera inde ab hoc anno ducto cf. Cavedoni in 'bull. d. inst. arch.' 1845 p. 94 sqq.

Caput VIII.

De Amyntae regno.

Galatia in provinciae formam ab Augusto a. 25 redacta non omnes easdemque complexa est partes, quae sub Amyntae quondam coniunctae fuerant ditione. Sed nonnulla mutata sunt singulaque diligenter nobis erunt perquirenda[1]).

Strabo quamquam disertis verbis dicit[2]) totum terrarum tractum Amyntae olim subiectum in potestatem unius venisse imperatoris Romani, tamen non accurate hanc rem describit, ut aliis locis docetur. Tradit enim ipse Ciliciam Asperam ab Augusto datam esse Archelao, Cappadociae regi (XIV, 5, 6) eandemque antea ab Amynta possessam fuisse eodem loco non ignorat. Praeterea Dio Cassius auctor est Pamphyliae urbes, quae olim Amyntae paruerant, a Galatia provincia seiunctas et ipsarum iuri administrationique esse redditas (53, 26). Quibus exceptis totum Amyntae regnum a Romanis occupatum est, et rectam ingredimur viam ad singulas partes cognoscendas, si primum quaerimus, quas provincia comprehenderit partes; deinde quae ex eis iam Amyntae fuerint adiudicatae, quae non.

Extat titulus quidam honorum Bellicii Sollertis, qui propraetor erat Galatiae provinciae sub finem saeculi primi p. Chr. Qua in inscriptione partes, quas illa quidem aetate provincia continebat, enumerantur hae: Galatia, Pisidia, Phrygia, Lycaonia, Isauria, Paphlagonia, Pontus Galaticus, Pontus Polemonianus, Armenia (Corp. inscr. Lat. III, 291).

Galatiam, quae primo loco ut omnium gravissima nominatur, Amyntae subditam fuisse iam satis cognovimus.

Pisidia vero prima fuit provincia, quam ille ab Antonio accepit a. 39, totiusque regni Amyntiani erat origo ac quasi stirps. Quam regem ipsum duxisse patriam, ut ita dicam, cum caput regni aedificare Isaurae vellet, Mommsenus primus suspicatus est[3]), quocum quamquam Isauria vulgo habetur Lycaoniae pars nec Pisidiae, tamen equidem consentio, cum Amyntae simul cum Pisidia haec ipsa regio attributa esse videatur. Totam vero Pisidiam rex sibi subicere non potuit, quoniam praemature e vita decessit. Atque ea ipsa de causa, quod nondum omnia erant expugnata, Romani postea oppida Pamphylica et Ciliciam Asperam a provincia separaverunt.

Cremna in media Pisidia sita ab Amynta capta est itemque Sagalassus, caput huius terrae posteaque prima ut vocatur Pisidiae

---

1) Nonnulla ad haec cognoscenda data occasione protulerunt Perrotus (de Gal. prov. cap. II) et Marquardtus ('Röm. Staatsverf.' I^{2} p. 358). Haud pauca vero erunt corrigenda.

2) XII, 5, 1 C. 567 et 6, 5 C. 569.

3) hist. Rom. V p. 308 adn. 1.

urbs[1]). Quod apparet e Strab. XII, 6, 4 et 5. Selgen autem non subiectam fuisse idem docet, cum de incolis huius oppidi sic scribat: *νῦν δὲ ὑπήκοοι τελέως γεγόνασι καί εἰσιν ἐν τῇ ὑπὸ Ἀμύντᾳ τεταγμένῃ πρότερον* (XII, 7, 3), quo loco mea quidem sententia demonstratur hoc oppidum posthac demum ad ea, quae Amyntae olim fuerant, addita esse[2]). Nec Sandalion sub regis erat ditione, quod oppidum ne conatus quidem ille est armis aggredi (Strab. l. l.).

Pisidia montium iugis vallibusque incisis maxime est difficilis adeuntibus itaque ab incolis viarum peritis sine magno labore defendi potest. Habebat oppida ab ipsa natura optime munita omnibusque temporibus magnas paravit difficultates eis, qui interiora ingressi vi occupare studerent[3]). Itaque etiam Amyntae primum ac summum erat negotium, ut singulos dynastas pertinaciter resistentes frangeret, priusquam re vera Pisidiae fieret rex.

Tertio loco in titulo laudatur Phrygia. Ac Phrygiam, quae dicitur Magna, cum Asia provincia fuisse coniunctam inter omnes constat. Hic de ea tantummodo parte dicendum est, quae Euronotum versus sita est, de tractu illo Pisidiae et Lycaoniae vicino. Amyntas autem possidebat Strabonis auctoritate haec: *τὴν Ἀντιόχειαν τὴν πρὸς τῇ Πισιδίᾳ μέχρι Ἀπολλωνιάδος τῆς πρὸς Ἀπαμείᾳ τῇ Κιβωτῷ καὶ τῆς παρωρείου τινὰ* etc. (XII, 6, 4 C. 569). Antiochia ad Pisidiam p. 577 quoque Amyntae vindicatur. Sacerdotium enim erat hac in urbe, quod Amynta mortuo sublatum est a Romanorum legatis ad hereditatem eius capessendam illuc missis. Apamea Cibotus non erat eius ditioni subiecta, ut demonstratur l. l.; certissime autem Apollonia ita, ut vox *μέχρι* hic posita sit sensu ut ita dicam includente. Primum enim ea urbs Galatiae provinciae erat ascripta, ut fragmenta docent inscriptionis cuiusdam ibi repertae, quae eadem continebat ac monumentum illud Ancyranum[4]). Deinde autem Stephanus Byzantius eam Pisidiae[5]), Strabo Phrygiae tribuit, nec nimis audacter conclusum esse videtur Stephanum ea de causa ita scripsisse, quia Apollonia comprehendebatur regno Amyntiano, cuius stirpem ipsam Pisidiam fuisse vidimus.

Praeter quas urbes Amyntas partem sibi habebat aliquam Phrygiae, quae vocatur Parorea. Quam vero regionem Strabo hac voce significet, non plane apparet. Loco supra exscripto seiungit Antiochiam Pisidiae a Parorea itemque in Phrygia discernuntur *ἤτε παρ-*

---

1) Cf. corp. inscr. Graec. 4368.

2) Kuhn ('Verf. d. röm. Reichs' II, 149) et Perrotus (l. l. p. 39) putant Selgen ut Sagalassum non provinciae demum, sed iam Amyntae regno fuisse assignatas. Strabonis autem verba talem sententiam meo quidem iudicio non admittunt.

3) Cf. Kiepert 'Lehrbuch d. alt. Geogr.' p. 127.

4) Cf. Perrot l. l. p. 39; fragm. huius monumenti v. apud Mommsenum (res gestae D. Augusti etc.).

5) s. v. Apollonia nº 17 cf. Perrot p. 39.

ὡρειος λεγομένη Φρυγία καὶ ἡ πρὸς Πισιδίᾳ καὶ τὰ περὶ Ἀμόριον (C. 576 ad fin). Quibus locis distinguuntur Phrygia et Parorea et Pisidica. Parorea autem ipsa alias accuratius describitur sic: *ἡ μὲν οὖν παρώρεια ὀρεινήν τινα ἔχει ῥάχιν ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ἐκτεινομένην ἐπὶ δύσιν· ταύτῃ δ' ἑκατέρωθεν ὑποπέπτωκέ τι πεδίον μέγα καὶ πόλεις πλησίον αὐτῆς πρὸς ἄρκτον μὲν Φιλομήλιον, ἐκ θατέρου δὲ μέρους Ἀντιόχεια ἡ πρὸς Πισιδίᾳ καλουμένη* (C. 577). Quo loco Antiochia et Philomelium Paroreae adiudicantur ac notio propria Phrygiae Pisidicae neglecta esse videtur. Strabo igitur non certos harum regionum terminos sibi fictos habebat atque ipsa Phrygiae voce saepius decipitur. Scribit e. g. C. 543 Phrygiam ad Hellespontum sitam eandem esse ac Phrygiam Epictetum, cum C. 129 ipsam Troadem apponit Phrygiae minori [1]). Phrygia Parorea igitur et Phrygia Pisidica idem fere apud Strabonem significant. Sunt partes, quae ad meridiem spectantes in confinio Pisidiae et Lycaoniae ad radices Tauri septentrionales iacent. Quarum regionum qui sint fines, quaestio est difficillima, ut iam Forbiger adnotavit (II p. 323 adn. 15), quoniam modo huic modo illi ascribuntur terrae. Causa vero, cur haec ita sint turbata, fortasse ea accipienda est, quod ipso Amyntae regno, quod haec omnia complectebatur, certi fines sunt deleti. In propraetorum autem titulis modo memoratur Phrygiae nomen modo omittitur ac Perroto assentire velim, qui dicit nonnullis in inscriptionibus Phrygiam esse adiectam propterea, quod gloriae cupiditate adducti nonnulli studebant nominibus quam plurimis cumulatis honores suos ampliores reddere. Quo consilio et Phrygiam addiderunt, quamquam non nisi minima quaedam huius terrae pars sub eorum erat potestate. Fortasse etiam illa ipsa aetate fines iam erant dubii ita, ut Phrygiae nomen, quo olim haec omnia concludebantur, ab aliis memoria teneretur et adhiberetur, ab aliis non.

Hanc igitur Phrygiae partem Amyntas regno attributam habuit. Synnada, Laodicea, Apamea urbes sine dubio a provincia erant exclusae [2]) itemque a regno. Philomelium vero fortasse regi paruit, quoniam caput erat Paroreae. Perrotus quoque Apolloniam, Antiochiam Pisidiae, Philomelium provinciae legato credita esse putat (p. 47 adn. 4). Provinciae finibus porro concludebantur urbes Amorium, Orcistus, Aezani, quae ad Phrygiae vergunt septentriones Galatiaeque sunt proximae [3]). Quas sub Amyntae fuisse imperio e situ cum probabilitate quadam efficitur. Itaque regni Amyntiani qui fuerint hac ex parte fines, ita fortasse definire licet, ut Orcistus, Amorium, Philomelium, Antiochia, Apollonia includantur.

Quibus temporibus rex has acceperit regiones, si modo eas accepit neque sua vi ac voluntate arripuit, pro certo affirmari nequit.

---

[1]) Cf. Forbiger 'Handbuch' II, 338 adn. 44.
[2]) Perrot l. l. p. 46 sq.
[3]) Cf. Marquardt l. l. I, p. 359.

Traditum nihil plane est. Perrotus cum libertate quadam iudicandi nec sine verisimilitudine dicit Antonium aut Augustum ei dedisse. Ego quidem putare malim Amyntam, cum a. 39 ab Antonio Pisidiae rex factus esset, hanc terram sine ullis certis finibus suscepisse nec suscipere potuisse, quippe quae nondum tota esset subiecta, et ita sibi ipsum illas partes confines neque acriter separatas sive Romanorum consilio sive suo arbitrio expugnasse ac cum multis aliis regno suo adiecisse.

Iam transeamus ad Lycaoniam! Dio Cassius tradit Antonium Amyntae una cum Galatia partes commisisse Lycaoniae et Pamphyliae (49, 32). Quae fuerint hae partes, cum pluribus non persequatur, breviter nobis hac de re quaerendum est. Idem scriptor alio loco (53, 26) simpliciter pronuntiat Amynta mortuo 'Galatiam cum Lycaonia' ad imperium Romanorum recessisse. Et Plutarchus Amyntam appellat regem 'Lycaonum et Galatarum' (Anton. 61). Sed apud utrumque scriptorem verba universe magis quam diligenter et ad historiae fidem perscripta sunt, cum partes Pisidicae-Phrygicae omnino non commemorentur. Fortasse ab utroque talis coniunctio e communi sumpta est fonte? Strabo quoque semel Amyntae totam ascribit Lycaoniam (XII, 6, 4 C. 569); sed maiore sermonis ubertate ac subtilitate, quae ille possedit, describit sic: *μετὰ δὲ τὴν Γαλατίαν πρὸς νότον ἥ τε λίμνη ἐστὶν ἡ Τάττα παρακειμένη τῇ μεγάλῃ Καππαδοκίᾳ τῇ κατὰ τοὺς Μοριμηνούς, μέρος δ' οὖσα τῆς μεγάλης Φρυγίας καὶ ἡ συνεχὴς ταύτῃ μέχρι τοῦ Ταύρου, ἧς τὴν πλείστην Ἀμύντας εἶχεν* (C. 568). Quo regionis tractu quid aliud significatur nisi Lycaonia, quae a Tatta lacu usque ad Tauri radices patet? Una tantum particula ad septentriones Phrygiam Galatiamque versus vergens e regno Amyntiano excipitur. Idem scriptor singula quaedam eisdem de regionibus narrat. A latere enim Isauriae sita sunt Derbe ac Laranda oppida, quae Amyntas expugnavit, ut iam vidimus. Porro autem comperimus regi in campis huius provinciae late patentibus ac locis quasi desertis greges fuisse ovium et caprarum trecentos (XII, 6, 1 C. 568). Quae illa in terra eximie nutriuntur optimeque crescunt. Etiam nostra aetate genus illud caprarum longo mollique vellere insignium ibi colitur [1]). Addit Strabo Amyntam ut alios ex ipso hoc quaestu magnas sibi comparasse opes.

Provinciae autem Lycaoniam fuisse addictam praeter inscriptionem illam Dionisque testimonium etiam Ptolemaeus docet, qui *μέρος τῆς Λυκαονίας* illi tribuit (5, 4). Insuper alia est inscriptio Iconii reperta [2]), in qua *ἐπίτροπος Γαλατικῆς ἐπαρχείας* occurrit. Unde sequitur Iconium quoque provinciae itemque Amyntae fuisse subiunctum. Quod confirmari videtur loco quodam Plinii (n. h. V, 27, 95), ubi Lycaonia cum Asia provincia coniungitur; seiungitur autem 'tetrarchia

---

[1]) Cf. Kiepert, 'Handbuch' p. 128.
[2]) C. i. Gr. 3991.

ex Lycaonia, qua parte Galatiae contermina est, civitatium XIV, urbe celeberrima Iconio'. Quam tetrarchiam eam esse partem, quae Amyntae paruerit, recte Perrotus coniecisse mihi videtur (l. l. p. 38 adn. 1). Addendum est, quod Plinius alio loco nominat 'populos ac tetrarchias numero CXCV Galatiae' (l. l. V, 32, 146), ubi Galatiae nomine ea certe complectitur, quae Amyntas possedit[1]). Ceterum tetrarchiae notio in omnes regni Amyntiani partes propagata esse videtur — aut statuendum est iam antea etiam in Lycaonia fuisse tetrarchias, unde novum argumentum pro sententia a nobis cap. I defensa peti potest.

Quodsi Iconium Amyntae vindicamus, quaestio oritur, quomodo hoc concilietur cum Strabonis verbis (XII, 6, 1), e quibus apparet Iconium a Polemone quodam occupatum esse. Qui Polemo dynastes est Olbae sacerdotii et ab Antonio Ciliciae partis rex a. 39 nominatus est[2]). Regnavit inde ab hoc anno usque ad 29 saltem a. Chr., quem annum indicant nummi ultimum[3]). Censendum igitur est usque ad illum annum Iconium in potestate remansisse Polemonis, Amyntam autem hoc oppidum ultimis demum regni sui annis possedisse Polemone ex illis regionibus amoto[4]).

Lycaoniae contermina vel pars huius provinciae meridiana est Isauria, in radicibus ipsisque iam montibus Tauri sita. Quae regio quin Amyntae fuerit subdita, haud dubium est, quoniam caput regni ibi exstruere volebat. Isauri vero, ferocissima gens, cum Cilicibus piratis iuncti Romanis semper magnas attulerunt difficultates eisque fortiter restiterunt[5]). Non igitur miramur, quod hac ipsa in regione quasi in visceribus totius regni Amyntas regiam aedificare intendebat neque audacia minus quam prudentia regis cognoscitur. — Perrotus insuper animadvertit a Plinio Lystrenos gentibus attribui Galaticis (n. h. V, 43). Lystra autem oppidum est Isauriae. — Quo vero tempore haec terra regi sit adiudicata non comperimus. Strabo gene-

[1]) Cf. Kuhn, 'Verf. d. röm. Reichs' II p. 255; Zumpt, comm. epigr. p. 95; Mommsen, Herm. XIX p. 320 adn. 1.

[2]) Cf. Waddington, rev. num. 1866 p. 429 sq. — Marqu. I, p. 385. — Otto l. l. p. 179 ad fr. 203.

[3]) Marqu. p. 386 adn. 1.

[4]) Plane perversa sunt, quae Forbiger exposuit: Der östlichere Teil an den Grenzen Galatiens mit der Hauptstadt Iconium kam in den Besitz des Königs von Kappadokien Polemo und bildete später eine Tetrarchie (Strab. 568 Plin. n. h. V, 27, 25), bis er von den Römern zu der Provinz Kappadokien geschlagen wurde (Handb. II p. 314 adn. 94). Partem ad orientem spectantem e Plinii verbis solis esse conclusam puto. Ille autem hac utitur significatione propterea, quod meminit hanc partem quondam ad Galatiam h. e. Amyntae regnum fuisse attributam. Nam orientem versus Lycaonia confinis est Cappadociae, Galatiae autem septentriones versus. Deinde: Polemo Cappadociae rex nunquam omnino fuit. Quis sit intelligendus, iam supra diximus. Cappadocia inde ab anno 36 usque ad 17 p. Chr. in potestate fuit Archelai.

[5]) Forbiger l. l. II p. 320.

ratim Romanos memorat singulaque omittit. Ego quidem putare velim eam simul cum Pisidia Amyntae traditam esse a. 39, quo anno ille medias has in gentes impositus est ea nimirum conditione, ut illis subiectis sibi ipse regnum conderet ac firmaret. Certis finibus non erat haec provincia tum terminata itaque regiones et Pisidiae-Phrygiae et Isauriae facillime ei adhaerentes apparuerunt ideoque expugnatae sunt.

Provinciae partes, quae praeterea in inscriptione Bellicii commemorantur: Paphlagonia, Pontus Galaticus et Polemonianus, Armenia minor non Amyntae regno continebantur. Priores quidem a. 7 a. Chr. provinciae addictae sunt[1]). Polemonianus autem pars erat Polemonis regni neque ante annum 63 p. Chr. sub Romanorum venit imperium[2]). Armenia minor denique ab Antonio a. 33 a. Chr. Polemoni data (Dio 49, 33 et 44) omnino non nisi ad tempus cum Galatia coniuncta esse videtur[3]).

A regno Amyntiano segregatae, provincia non sunt inclusae Cilicia Aspera et Pamphylia.

Ac prior quidem tota Amyntae erat, ut iam docuimus. Suscepta est a rege non ante pugnam Actiacam, cum antea ab Antonio Cleopatrae esset donata.

Pamphyliae autem ille quasdam accepit partes ab Antonio una cum Galatia et Lycaonia a. 36 (Dio 49, 32). Etiam postea, cum provincia instituebatur, non nisi loca quaedam ex Pamphylia memorantur (Dio 53, 26). Quae urbes eo potissimum consilio Amyntae tributae sunt, ut aditum sibi pararet vel paratum haberet ad mare[4]). Necessarium enim erat, si rex gentes illas agrestes omnibus ex partibus opprimere volebat, ab utroque latere in fauces visceraque montium penetrare, ut reditum hostibus praecideret ac spem fugae tolleret. Quod optime assequi potuit oris occupatis. Gentibus enim ad mare adiacentibus, qui montanis perpetuo auxilia submittebant, hoc modo vias interclusit fontemque obstruxit magnum, ex quo vires copiasque assidue renovare possent.

Et accedit altera causa. Iam antiquitus in illis ipsis Pamphyliae urbibus Graecorum mores accepti et confirmati erant ita, ut Amyntae regno novo ac quasi e barbarie ad cultum escendenti nil optatius accidere posset quam in earum pervenire possessionem. Neque igitur solum aditum maris totiusque mercaturae, sed etiam omnia bona et commoda, ut sunt in locis humanitate expolitis hoc modo Amyntas sibi comparavit, ut e. g. e nummis regis discimus, qui omnes in Pamphylia signati Graecos ostendunt typos. Quibus nummis enisi hasce urbes Amyntae attribuere licet: Pergen, Olbiam,

[1]) Marqu. I p. 359.

[2]) Suet. Ner. 18 — Vopisc. Aur. 21 — Eutr. VII, 14 — Aur. Vict. Caes. 5, 2 — Epit. 5, 4 — Euseb. chron. p. 161.

[3]) Marqu. I, 359 et 369 — Perrot l. l. p. 55.

[4]) Similiter iam Perrotus suspicatus est l. l. p. 37.

Magydum, Siden (cf. cap. XI). Etsi certissima quidem argumenta hac ex re sola non possunt duci, tamen quid impedit, ne urbes Pamphyliae, quas ei traditas esse constat, eas esse censeamus, in quibus nummi eius signati sunt?

Amynta autem mortuo et Cilicia Aspera et Pamphyliae urbes ab eius regno seiunctae sunt propterea, quod a septentrionibus erant gentes indomitae, quae magnas parassent difficultates ad eas partes coniungendas cum provincia. Cum igitur communis administratio nimis fuisset difficilis, Cilicia Aspera Cappadociae attributa est, Pamphyliae vero urbes propriae sunt redditae dominationi libertatique[1]).

Amyntae igitur regnum sic a primordiis ad magnitudinem provectum est:

A. 39 Antonius triumvir inter alios etiam Amyntam regem nominavit. Qui iam antea Romanis amicus sociusque fuerat illoque tempore Pisidiam accepit gentesque conterminas nondum subiectas. Magno vero cum studio aggressus, quod sibi propositum habebat, Phrygiae partes Isauriamque expugnavit, multa hostium castella destruxit, latronum duces interfecit. Quibus factis cum virtus cognita esset, ab Antonio successor destinatus est Castoris in Galatia simulque additae sunt ad regnum amplificandum singulasque regiones coniungendas Lycaoniae partes quaedam et nonnullae Pamphyliae urbes, quibus aditum haberet apertum ad mare, qualem et Deiotari regnum habebat ac septentrionem quidem versus in regione Pontica. Amyntas autem ut tantum regnum firmaret interioraque stabiliret, operam dedit. Regiam aedificare coepit Isaurae, nummos signandos curavit in partibus Graecorum cultu iam expolitis, gentes liberas subiecit. In bello Actiaco ad partes Caesaris transiit, qua de causa omnia, quae possidebat, denuo ei concessa sunt Cilicia Aspera insuper addita. Denique suscepisse videtur etiam Iconium, quod oppidum usque ad annum 29 Polemoni Olbiensi paruit medioque in regno suo erat situm. A. 25 a. Chr. praematura morte e vita decessit regnumque nondum perstructum Romanorum subiectum est imperio. Comprehendit autem totum hoc regnum Amyntianum easdem fere regiones, quas antea Cilicia provincia, quae a. 67 a Pompeio constituta Pamphyliam, Ciliciam Asperam, Pisidiam, Isauriam, Lycaoniam complectebatur[2]).

[1]) Cf. Mommsen, hist. Rom. V, p. 309.
[2]) Cf. Marqu. I, p. 381 — Fabricius l. l. p. 201.

Caput IX.

De Amyntae regis liberis.

Augustus cum Amyntae regnum in provinciae formam redegit, liberos eius plane neglexit (Dio 53, 26). Ac de filio regis notitiam quandam habemus inscriptione quadam una cum monumento Ancyrano reperta[1]). Qua in tabula ludi describuntur quinquennales in memoriam templi D. Augusto dedicati Ancyrae instituti. Inter nomina autem eorum, qui ad hos ludos celebrandos spectacula vel similia proposuerunt, saepius occurrit *Πυλαιμένης βασιλέως Ἀμύντου υἱός,* qui munificentia fuisse insigni itaque magnas divitias a patre relictas possedisse videtur. Cuius filii nomen mirum certe est. Constat enim Pylaemenem esse nomen quasi hereditarium Paphlagoniae regum, quorum origo deducebatur a Pylaemene, heroe illo Homerico[2]). Sic Justinus dicit: 'Pylaemenes, Paphlagonum regum nomen' (hist. Phil. 37, 4, 8 cf. Oros. V, 10, 2). Amyntae autem aetate Paphlagoniae rex erat Deiotarus ille Philadelphus, Castoris filius. Quem cum Pylaemenidum genere propinquitate ceteroquin nobis ignota coniunctum fuisse pro certo habere licet[3]). Nonne igitur mirum videtur, quod Amyntae regis filius, heres ut videbatur magni regni, nomen prae se fert Paphlagonicum? An nimia conclusum est audacia etiam Amyntam cum illo genere in affinitatem quandam pervenisse? Fortasse filiam huius familiae in matrimonium duxisse? Qua ratione Amyntas, ignobili familia natus, homo ut ita dicam novus, ordinem sibi maiorum imaginesque comparaverit atque etiam cum Galatarum gente tetrarchica, e qua Deiotari pater oriundus erat, propinquus factus esset. Quod haud alienum certe fuit ab Amyntae consiliis et natura. Num vero Paphlagonum quoque regnum sese esse consecuturum speraverit, decernere non ausim. Deiotarus quidem Philadelphus e vita decessit duodeviginti annis post mortem Amyntae (a. 7 a. Chr.) ac Pylaemenidum genere extincto Romanorum imperio regnum ascriptum est.

Caput X.

De Amyntianis.

Amynta mortuo non omnia, quae reliquit, imperatoris iussu ac voluntate a Romanis suscepta esse videntur, sed nonnullis rebus

[1]) C. i. Gr. 4039.
[2]) Cf. Mommsen, in 'Sallet, Zeitschr. f. Num.' XV, 207 sq.
[3]) Cf. Mommsen, l. l. p. 217 adn. 2.

hereditas quaedam indicatur. Concedendum vero est Amyntam testamento non regnum divitiasque Romanis solis legasse filiosque ab hereditate exclusisse. Attamen sunt, cur tale quid suspicemur. Verba quidem Strabonis 'Antiochiae Pisidiae sacerdotium Men Arcaei sublatum esse ab eis, qui in Amyntae hereditatem mitterentur' (C. 577) pro tali sententia afferri nequeunt. Nam vox *κληρονομία* hic posita haud dubie non propria notionis vi intelligenda est.

Sed accedit alia res. In inscriptionibus illius aetatis plures inveniuntur Amyntiani. Exempla adhuc innotuerunt haec[1]):

1. Gaa Amyntianus } C. i. Lat. VI, 10395.
2. Apollonius Amyntianus }
3. Damocrates Amyntianus }
4. Alexander atriensis Amyntianus ib. 8738.
5. Epinicus Caesaris servus Amyntianus ib. 8894.
6. M. Livius Aug[ustae] l[ibertus] Anteros Amyntianus ab supelectile ib. 4035.
7. *Ἰούλιος Ἀμυντιανός ἱερεὺς Εἴσιδος καὶ Σαράπιδος* in *Μουσ. τῆς εὐαγγ. σχολ.* 1875—6 p. 28 n^{0} *ρκε´*.

Omnibus his titulis servi indicantur, qui quondam in potestate fuerunt Amyntae cuiusdam, sine dubio regis illius Pisidiae.

Qui numerantur 1—4 et 7, servi fuisse videntur magis publici quam Caesaris privati. Cum enim Amyntae regnum sub Romanorum veniret ditionem, servi novo subiecti imperio cognomina acceperunt eius, qui ante dominus fuerat, ut erat usus. Neque Amyntae neque Augusti fuerunt servi privati, sed solum regni eorum, neque aliud quidquam domini cognomine significatur atque id, quod nos dicimus *kaiserlich, königlich.* Sic etiam is, qui loco 7 memoratur, Amyntianus vocatur, quamquam sacerdos tantummodo est in regni parte, quae olim Amyntae paruerat. Fortasse unus est ex eis, quorum magnum numerum Antiochiae Pisidiae fuisse Strabo tradidit (XII, 8, 14 C. 577).

At qui loco 5 et 6 nominantur, certe non sunt servi publici, sed privati, et alter quidem Caesaris ipsius servus, alter Liviae est libertus, qui, ut Mommsenus dicit[2]), „ex hereditate Amyntae regis in Augusti uxoris potestatem venit." Videmus igitur servos, qui antea Amyntae fuerant, a Caesare ipso Romam translatos et in usum privatum domus imperatoriae adhibitos esse. Quomodo autem hoc fieri potuit nisi hereditate quadam? Cur tandem Augustus servos illis e regionibus sumptos rebus suis privatis attribuit? Pro certo igitur habeas velim partem rei familiaris ab Amynta rege Augusto relictam esse testamento aut alia nescio qua ratione. Nec mirum tale quid videtur. Scimus e. g. etiam Herodem regem Caesari eiusque uxori

---

[1]) Cf. Huelssen in 'Mitteil. d. deutsch. Inst. röm. Abt.' III, p. 223.
[2]) Herm. II, p. 158.

familiaeque multa testamento legasse[1]), ut haud alienam ab illius aetatis usu fuisse eiusmodi consuetudinem cognoscamus.

Caput XI.

De nummis ab Amynta rege signatis.

De nummis Amyntianis iam uberius disputavit dux de Luynes a. 1845[2]). Sed haud pauca inde ab hoc tempore adiecta sunt, ac cum praeterea multa sint corrigenda, ultimo hoc capite omnes nummos ab Amynta cusos colligamus et describamus.

Typus I.

1) Herculis caput nudum, barbatum. Pone clava.

R. Leo currens. *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΜΥΝΤΟΥ.*

(Cf. Eckhel, doctr. num. III, 183; Mionnet, 'descr. de méd.' IV, 403, 4 et 5; Luynes l. l. 1; Leake, num. Hell. 1856 p. 67; 'catal. de Welzl de Wellenheim.' Vindob. 1844, 6448; Head, hist. num. 629.)

2) Idem. In fronte littera *M* addita.

(Cf. Mionn. 6 et 7; Luynes 2; Apud Mionn. suppl. VII, p. 656, 101 littera exsculpta inveniuntur, cetera consentiunt.)

Quem typum Luynes, quocum consentio, Phrygiae esse proprium scribit. Herculem ac leonem refert ad cultum Cybeles Pessinuntiae, cuius sacerdotium Amyntae imperio erat subditum. Littera *M* Midaeum oppidum significari proposuit, quod fieri posse nego. Midaeum enim situm est in Phrygia quae vocatur Epictetos (Strab. XII, 8, 12 C. 576). Cum autem Amyntas, ut vidimus, Phrygiam Paroream tantum neque eam quidem totam possideret, haec urbs ei non erat subiecta neque in nummis legenda est. Fortasse cogitandum erit de Magydo Pamphyliae, quae infra saepius recurret. Nihilominus typum esse Phrygicum concedo, quoniam persaepe factum est, ut nummorum typi transferrentur. Quae lectio confirmatur hoc eiusdem typi exemplo:

3) Idem. In parte aversa monogrammon additum, quod *Μαγυδ* legi posse dicunt.

(Cf. 'Catal. chez Rollin et Feuardent.' Lut. Paris. 1862 p. 404, 6175; Imhoof 11.)

Denique memorandum est:

4) Idem. Herculis caput barbatum diademate circumcinctum. (Cf. Mionn. suppl. VII, 656, 100.)

Imhoofius-Blumer Amyntae etiam multos alios nummos eiusdem typi attribuit, qui antea ad Moageten, Cibyrae regem, referebantur. Descriptione accurata hoc loco non opus esse videtur. Si quis propius ad eam accedere velit, ad ea delego, quae ille v. d. exposuit

---

[1]) Joseph. ant. XVII, 6, 1; bell. Jud. I, 32, 7.
[2]) Rev. num. fr. 1845 p. 253 sq.

(in 'Sallets Zeitschr.' I, p. 330 sq.). Sunt autem nummi, qui apud eum numerantur 1—4, 9, 10, 14. Quorum monogrammata Imhoofius legit *βασιλέως Ἀμύντου*. Ipse adnotat imagines haud accurate saepius esse descriptas ita, ut non cuique fides haberi possit; nihilominus ego quoque comprobo illius sententiam ac iure omnes hos nummos Amyntae vindicari censeo. Primum enim typorum similitudo utriusque lateris maxime est insignis; deinde autem accedit, quod in nummis haud dubie Moagetae regi ascribendis plane diversos invenimus typos.

Typus II.

1) Dianae caput. Arcus et pharetra a tergo.

R. Cervus stans. *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΜΥΝΤΟΥ.*

(Cf. Eckh. III, 183; catal. de Welzl etc. 6447 (*Αμυτου!*); Luynes 3; Mionn. IV, 403, 2 et 3; Imhoof, 'mon. Grecq.' p. 416, 176; Head p. 629.)

2) Idem.

R. Idem. Ante cervum caput mulieris inclinatum.

(Cf. Mionn. suppl. VII, 656, 102.)

Luynes existimat imagines spectare ad Dianae cultum Pergensis Pamphyliae, quod sacerdotium oppidumque Amyntae fortasse subditum fuerit. Concedendum sane est in nummis huius loci Dianae typos inveniri itemque situm bene quadrare, cum in seriem urbium Pamphylicarum optime includatur. Ac confirmatur haec sententia altera causa gravissima. Claustra enim montium, quae aditus aperiunt ad interiores regiones, ab ipsa Perga muniuntur ita, ut non nisi hoc ipso loco montes transire et in Pisidiam pervenire possis[1]). Itaque Amyntam, ut certam et apertam haberet hanc viam, qua in regnum suum proficeretur, hoc oppidum possedisse putandum est.

Eidem typo nummi sunt ascribendi, quos primus Imhoofius Amyntae attribuit, l. l. numerati 5—8. Quorum quoque monogrammata perfacile leguntur *βασιλέως Ἀμύντου* nec dubito sententiam ab illo viro de nummis optime merito prolatam comprobare.

In multis eorum, qui hic memorantur, nummorum animadvertas quaeso numerorum signa, quibus haud dubie Amyntae regni indicantur anni. De qua re v. paullo infra.

Nummus quidam in 'Mus. Sanclement.' l. I p. 27 descriptus certe eiusdem est typi. Unum tantum discrepat, scil. hoc, quod dicitur: 'Palladis caput cum pharetra', quod sine ullo dubio corrigendum est in 'Dianae caput'.

Typus III.

Mercurii simulacrum pectus tenus effictum, caduceo retro prominente.

R. Caduceus alatus. *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΜΥΝΤΟΥ.*

(Cf. Eckh. III, 184; mus. Sancl. I, p. 27; Mionn. IV, 403, 1; Luyn. 4; Head 629.)

Hunc nummum cusum esse Hermopolide, Isauriae oppido, Luynes

[1]) Cf. Droysen, 'Gesch. d. Hellenism.' I, p. 1225.

scribit, etsi nulli huius loci extant nummi. Facile igitur hoc est coniectatum. Adnotandum vero est Mercurii typum haud rarum esse illis in regionibus itaque e. g. etiam de Olbia cogitari posse[1]). Quem locum ego quidem praefero, quia in Pamphylia iacet et optime cum ordine harum urbium conciliatur. Tamen certi quidquam dici nequit.

Abiudicandi sunt Amyntae regi tres nummi ab Imhoofio l. l. descripti, qui canceris typum ostendunt quibusque inscriptum est *Β ΑΜΕΙΝΤΟΥ* vel *ΑΜΙΜΤΟΥ* vel *ΑΜΕΜΤΟΥ*. Iam Friedlaender suspicatus est[2]) hos nummos Amintae cuidam nobis ignoto esse attribuendos, cum Amyntas, Pisidiae rex, semper scribatur littera *υ*; praetereaque hi nummi antiquiores esse videntur quam ut ei addici possint. Imhoofius primum eos principi cuidam Amemto vindicavit (l. l. p. 334); postea autem Memnoni nobis haud minus ignoto[3]).

Postquam multa illa tetrachma regis argentea inventa sunt, recentiores falsarii eorum typo accuratissime imitati multos in lucem ediderunt nummos aureos Amyntae nomine signatos. Qui longum per tempus ab omnibus sinceri habebantur, donec primus ostendit Mayer[4]) eos esse adulterinos.

Mommsenus denique commemorat parvulum quendam nummum aureum Amyntae 'obscurum', ut dicit, cuius pondus sese definire non posse confitetur[5]). Hunc quoque esse adulterinum nimis audacter erit conclusum? Accedit, quod Amyntae, ut Mommsenus ipse concedit, ius nummos aureos signandi maxime fuisset singulare illisque temporibus plane inauditum.

Iam disserendum est de

tetradrachmis argenteis,

quae Amyntas signanda curavit. Quorum ne unius quidem notitia servata erat usque ad annum 1845, quo subito magnus repertus est numerus in Pamphylia, in ea nimirum regione, in qua omnes Amyntae nummi cudebantur. Descripta sunt eodem fere tempore a Burgono in 'numism. chron.' VIII p. 69 et duce de Luynes l. l. Anno sequente de Prokesch-Osten in Germania exempla quaedam edidit in 'Arch. Zeit.' 1846 p. 266. Ex eadem collectione a. 1849 quatuor exempla addita sunt. Haud igitur pauci sunt nummi[6]) et plerique optime servati mirum in modum integri manserunt. Tria sunt exempla variata:

1) Palladis caput.

R. Victoria gradiens, dextera sceptrum tenens circumvittatum, sinistra vestem attollens. *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΜΥΝΤΟΥ.*

[1]) Cf. Head, p. 584.
[2]) 'Arch. Zeit.' 1846 p. 266 adn. 3.
[3]) 'Mon. grecq.' p. 416 adn. 45.
[4]) 'Numism. Zeitschr.' III, p. 435.
[5]) Hist. mon. III, p. 300 et adn. 3.
[6]) Catalogus Borelli collectionis a. 1852 continebat novem exempla sincera cf. Mayer l. l.

(Cf. Burgon l. l. p. 70; Luynes p. 262; 'Arch. Zeit.' 1846, p. 267; Leake l. l. 44; Babington ('catal. of Greek coins' 1867) p. 13, 81. — Tabulas praebent Luynes pl. XII et 'Arch. Zeit.' 1849, tab. X, 6. Cf. Rollin et Feuard. l. l. 6171 sq.)

2) Simile Palladis caput. ΑΔ

R. Similis Victoria, dextera ferens sceptrum similiter circumvittatum. Inscriptio eadem. *IB*.

(Cf. Burgon p. 69; Luynes p. 262; 'Arch. Zeit.' ib.; Leake 44; Rollin et Feuardent 6173. Tabulae apud Burgon et Luynes.)

3) = 1) Victoriae caput vellere ac trunco elephantis capitis opertum.

(Cf. 'Num. Zeitschr.' III, 91; Roll. et Feuard. 6174; Leake ib.)

Primum quidem oculos ferit mira quaedam similitudo, quae intercedit inter haec tetrachma et typos, qui in Side urbe editi sunt, id quod omnes statim cognoverunt. Nec typus solum, etiam pondus idem est. Sunt autem, ut Mommsenus exposuit[1]), levissima et quantum iudicare possumus, ultima tetradrachma, quae ad ponderis Attici rationem procusa sunt. Amyntas igitur Sidae tetradrachma facienda curavit, ut erant, tantumque nomen suum ascripsit paucis quibusdam insuper mutatis, de quibus infra exponemus. Nihilominus et Perrotus (p. 30 adn. 1) et Mommsenus existimant Siden ipsam nunquam in Amyntae potestate fuisse, sed eum 'Sidae a Sidenis artificibus ad speciem Sidenorum nummorum sua tetradrachma facienda curasse'. Attamen cur hanc urbem regno Amyntiano fuisse attributam negemus? Prokesch-Osten, Leake, Babington iure ac merito eam regi non abiudicarunt; Luynes in medio rem relinquere videtur. Sed nihil certe est, quod obstet. Side totius regionis erat caput cumque portus eius oppidi esset optimus, aditum et claustra firmavit maris ut Perge montium. Amyntae igitur, ut hunc aditum apertum tutumque servare fructumque ex Pamphylia perciperet, ante omnia Sidenorum portus et castellum erant tradenda. Et mirum profecto atque insolens fuisset, si rex ea in urbe, cuius non erat dominus, nummos faciendos curasset, qui typum signumque ferrent huius ipsius urbis. Accedit quod Amyntas satis iam multa habebat loca, in quibus nummos signare posset ut Magydum, Pergen, alia. Quae cum ita sint, ego quidem censeo Siden urbem sub Amyntae imperio fuisse subiectam.

Addenda sunt pauca de numeri illo signo *IB* in altero nummo insculpto. Luynes recte adnotavit annum significari aerae cuiusdam, quae Amynta vivo inceperit, proponitque aeram Antiochenam (vel Caesariensem), quae initium cepit ab autumno anni 49. Duodecim annis post Amyntam fuisse regem recte se habet. Attamen contra hanc sententiam primum pugnant nummi supra p. 46 memorati, in quibus signa legimus e. g. *Γ*, quod nullo modo conciliari potest hac cum aera. Deinde non est, cur Amyntas illis in regionibus hac aera usus sit,

[1]) Hist. mon. I, 99 adn. 4.

quae minime erat usitata[1]). Quibus de causis statuendum esse censeo hunc numerum esse Amyntae regni annum, id quod haud abhorret ab usu. Eadem ratione e. g. Brogitarus computat, ut vidimus, eadem Archelaus, Cappadociae rex. Et iam eandem proposuerunt opinionem Burgon et Prokesch-Osten, etsi his viris doctis anxietate quadam est agendum, ut primum regni annum significari demonstrent, quoniam Amyntam non ante annum 36 regem nominatum esse existimant. Nobis autem cum cognoverimus hoc iam a. 39 esse factum, numerus *IB* nullas affert difficultates ad interpretandum.

Reliquum est, ut paucis quaeramus, quae significentur eis, quae Victoria in tetrachmis manu tenet dextera. Sententiae enim sunt prolatae multae. Praemittendum est imagines, quas lineamentis l. l. descriptas habemus, saepius haud accurate esse fictas ad cognoscenda singula. Prokesch-Osten in No. 2 vidit sceptrum vel thyrsum vittatum, in No. 1 pharetram vel thyrsum vittatum ('bebänderter Jubelstab') — Head sceptrum diademate circumcinctum — Burgon idem — Imhoofius[2]) sceptrum longis taeniis ornatum — Sallet (in describendo nummo Deiotariano l. l. p. 52) thyrsum et pharetram — Luynes diserte pugnat contra Lenormantum et Mionnetum, qui signa militaria ea esse dixerunt, et in No. 1 sceptrum accipit, quod regia vitta sit circumcinctum, in altero autem 'pharetram cum regia vitta' conspicit verbisque expressis adnotat pharetrae operculum eadem forma esse effictum, quam typus loco II a nobis descriptus ostendat[3]).

At minime neque thyrsus neque pharetra intellegenda sunt. Quonam consilio talia tenentur manibus mulieris, quam esse Victoriam nemo negat? Ac quomodo cum Amynta rege haec coniunguntur? Omnes, qui sic interpretati sunt, ne operam quidem dederunt, ut explicarent, quae proposuerunt. Statuendum certe est nil aliud utroque in nummo repraesentari ac sceptrum regium vittatum. Si pictura linearis in No. 1 rectam exhibeat figuram, sceptri forma discrepat sane ab usitata. Sed diversissimis modis apud antiquos sceptra ficta sunt, etsi omnia adhuc non ita perspecta habemus, ut singula persequi possimus.

Vincula autem, quibus sceptrum circumdatum est, nec diademata nec vittas regias esse intellegenda censeo; sed simpliciter taenias indicant, quibus sceptra hic eadem ornata sunt ratione, qua palmae, quae pacis societatisque causa a Romanis gentibus mittebantur. Burgon etiam coronam vidit in No. 2. Sed hic procul dubio e prava descriptione error natus est. Nam sic, ut apud eum delineata sunt, vincula superiora in aere, ut ita dicam, haerent neque intellegi possunt. Accedit, quod Victoria tam inepto modo nec coronam nec sceptrum tenere potest. Aliis in descriptionibus vincula eorumque laquei recte coniunguntur.

[1]) Cf. Waddington, 'rev. arch.' N. S. XI p. 270 sq.
[2]) 'Num. Zeitschr.' III p. 33 n° 90.
[3]) Cf. Lenormant, 'Num. des rois grecs' pl. XXXII, n° 16.

Quomodo autem sceptrum a Victoria portatum his in nummis explicandum est? — Ut Mommsenus breviter semel adnotavit[1]) ac iam ante eum Cavedonius dissertatiuncula quadam locupletius exposuit[2]), Romani gentium regulis sibi amicis sociisque dona signaque propria regiae dignitatis mittebant. Quae autem fuerint haec dona signaque, comperimus e Dionysio Halicarnassensi, apud quem enumerantur corona aurea, solium eburneum, sceptrum, vestes purpureae (Ant. Rom. III, 61). Addit: *ὡς καὶ νῦν Ῥωμαῖοι τὰ σκῆπτρα καὶ τὰ διαδήματα δωροῦνται τοῖς βασιλεῦσι βεβαιοῦντες αὐτοῖς τὰς ἐξουσίας.* Praetermittere mihi liceat nomina eorum, quibus talia munera missa sunt. Unum tantum haud ineptum erit addere locum, quo ostendatur morem illum Romanis fuisse, Taciti scilicet, apud quem legimus Ptolemaeum, Mauretaniae regem, accepisse 'antiqua patrum munera ex vetusto more' (ann. IV, 26).

Quae cum ita sint, quid mirum, si haec ipsa symbola in nummis regum impressa inveniuntur? Cavedonius permulta profert exempla huius consuetudinis[3]) eamque Tiberii imperatoris temporibus in usum venisse iudicat. Imaginibus vero in Amyntae tetrachmis insculptis corrigitur quodammodo haec sententia, cum iam ante Tiberium hunc morem extitisse eis demonstretur Nam quid aliud sceptro vittato significatur nisi insigne regium Amyntae a Romanis missum? Amyntas, qui ipso Romanorum praesidio regnum condidit, perfacile ea gloriae cupiditate motus est, ut indicia dignitatis suae omnibus praestet, itaque ipsa insignia in nummis fingenda curavit. In Brogitari quoque nummo sceptrum vittatum eodem modo explicandum est. Quod autem Victoria haec honorum munera tenet regique praebet vel aliis monstrat, nullas parat difficultates. Saepissime invenimus in nummis Victoriam coronam tenentem, qua re significari videtur Victoriam coronam h. e. victoriae pignus, symbolum afferre[4]). His autem in tetradrachmis corona sceptro suppleta est et Victoria ipsa Amyntae sceptrum h. e. signum dignitatis regiae offerre videtur. Qua ratione omnia optime explanantur.

Ultimus denique Amyntae tribuendus est nummus hic:

> Iovis caput lauro circumcinctum.
>
> *R.* Victoria coronam tenens dextera, vestem attollens sinistra. *ΣΑΓΑΛΑΣΣΕΩΝ*

(cf. Mionn. III p. 511; Head, p. 591).

Quem nummum primus regi vindicavit Luynes neque iniuria. Nam typus haud abhorret a ceteris pondusque fere dimidium est tetradrachmum. Cum praeterea fabricatio eandem indicent aetatem, sententiam ab illo v. d. prolatam comprobo. Addendum est etiam Sagalassi nomen optime ad Amyntam referri posse, quoniam hoc oppidum regis imperio erat subiectum, ut supra vidimus.

---

[1]) 'Röm. Staatsrecht' III[3], 592 et adn. 3.
[2]) 'Ann. d. inst.' 1865 p. 253 sqq.
[3]) Eorum in nummis signa solio affixa sunt.
[4]) Cf. e. g. Sallet 'Beschreib. ant. Muenzen' I p. 334.

Capitum elenchus.

VITA.

Bruno Arturus Zwintscher natus sum Lipsiae anno h. s. LXVII patre Brunone, matre Friderica e gente Otto. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum rudimentis imbutus per novem annos frequentavi patriae urbis scholam Thomanam. Maturitatis testimonio accepto inde a vere a. 1887 in universitate Lipsiensi studiis operam dedi philologicis. Docuerunt me viri illustrissimi de Bahder, Brugmann, Gardthausen, Hermann, Hildebrand, Holz, Koegel, Lamprecht, Lipsius, Masius, Overbeck, Ribbeck, Richter, Schreiber, de Schubert-Soldern, Struempell, Wachsmuth, Wundt, Zarncke. Interfui exercitationibus philologicis et proseminarii Hansseno Ribbeckioque et seminarii Lipsio Ribbeckio Wachsmuthio moderantibus. Praeterea sodalis fui seminariorum et Germanici Zarnckio Bahderoque et historici Gardthauseno Wachsmuthioque et paedagogici Richtero rectoribus. In societates benigne me receperunt Ribbeck, Wachsmuth, Schreiber.

Quos omnes viros doctissimos, praesertim autem Victorem Gardthausen et Curtium Wachsmuth, qui benevolentissime et ceteris in rebus et hac in dissertatiuncula conscribenda me adiuverunt, nec non Rudolfum Hildebrand Theodorumque Schreiber pietate gratoque animo semper colam.